


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
23 D
23






Microcosmus
Immobilis


Vitream factura ruinam


Non fabro Sed verbo




BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

MICROCOSMVS IMMOBILIS,

Seu

COMPENDIVM Vniuersæ Philosophiæ,

EMINENTISSIMO PRINCIPI

D. PETRO OTTHOBONO

S.R.E. Cardinali, & Episc. Brixiæ, ac Princ.

Dicante

BERNARDINO BARTOLO

Brixiensi Sacer.






Mantuæ, Apud Osanas, Typ. Duc. 167[illegible]
SVPERIORVM PERMISSV.

Auth. Gerardo Bellhomo S.J.





EMINENTISSIMO,

A C


REVERENDISSIMO PRINCIPI

D. PETRO OTTHOBONO

S. R. E. Cardinali

Episcopo Brixiæ, ac Princ.

F.







VI Magnam Vniuersi orbis constructionem suo ipse opere maior fabricatus est Deus, non illam alijs sed vni sibi dicauit, Em: Princeps, illud, si libeat interpretari, professus vnum se pręstare posse opificio suo lucem simul, & vmbram. Et verò ser-

uant etiamnum inoffensi characteres inscriptum latè operi supremi nomen Opificis : Natiuaquè decoris tanti harmonia vno quidem; sed multa iam secula continenti spiritu, qui intus alit, eò personat modulatior, quò gratiosius quod sit, quod vigeat suo modulatur auctori. Sed quam diuerso fato emergit in lucem non suam meus hic orbis, Princeps Em. Vt vt enim perexiguus, maior tamen authore suo (quando homo homini Deus est) numen quærit, & quoniam eris ipse mihi semper Deus, non alio, quam tuo postulat Nomine insigniri, eaque lucis aura viuere ac muniri, qua tantum vt frueretur, fuit ipsi nasci iucundum. Me quoque Magnificentissima illa Maiestas, qua primùm Optimus ipse, ac summus bonorum omnium studia, bonasque artes foues ac tegis, me fecit illa supplicem tuum; quo laborem hunc meum, ea obtester, excipias, quam summam præte-

fers,

fers, animi benignitate, clementiſsimè parcens; ſi tenuis grandia conatus culpa ingenij detriui id ipſum, quod, dum tuis aris aduoluitur, adhuc vſquè, & vſquè præ magna tui ipſius præſentia decreſcit. Quod ſi Alexandro Macedoni Staſicrates deſtinarat ex Atho omnium Thraciæ Montium altiſsimo ſimulacrum effingere, quod ſiniſtra vrbem amplexum dextra flumen effunderet (exiguum certè iam totius orbis victori, ac domino Monumentum) quid ni orbem ipſe non vrbem tibi conſecrem, Em. Princeps, cui iam nobiliſſimam orbis partem Brixienſem Diœceſim clementiſsimo imperio temperanti orbis vniuerſus triplex coronamentum molitur olim adoraturus & pedes, vt nunc ſuſpicit caput.

Ita eſt Mentitus Atlantem, vt paruitati meæ conſulerem, Mundum exhibeo Em. Princeps: puduit enim me tibi ſiſtere, ſi quid minus orbe toto deferrem.

Neque verò vitreus iste est aut armillaris quales fecere sphæras Archimedes, & Aratus: & alteram quidem vitrea perituram ruina, alteram malè explicantem facto, quod Verbo conditum fuit. Sed literarius est Mundus ad illam ipsam primam diuini opificis, quantum præ mortalis ingenij tenuitate licuit, conformatus Ideam, vnde primùm factus orbis emersit. Et istum quidem materiatum orbem suopte ingenio mobilem, & vario interitu hinc illinc pronum absumi nunquam cessans tempestas sus deque sic agitat, vt frustra ad ipsum dimouendum nescio quis optarit consistere: At orbis iste meus iam tuus (verbo absit inuidià) immobilis esto: quod eò nequaquam certè dixerim, quasi iactabundus nihil hìc censeam dignum loco moueri: Sed præterquam quod ipsa dignitas scientiarum per se se immota est semper, ac stabilis, tu Em: Princeps (vt decet benefi-


cium

cium Principis esse mansurum) beneficio tuo iam figis ; & sicuti, quod es, quod sapis, immortale quiddam est, ac diuinum; ita quicquid incipit esse tuum, iam in cognatam transfers ideam optimi, & donas æternitate. His ego animis triplex Philosophiæ stadium emensus ita vnam hanc metam studiorum meorum constitui Nomen tuum, vt vel sapientia ipsa desipuisset, nisi, quod sperauerim tibi posse me sapere, sapuisset. Tu verò, Princeps Em:, clementissima Augustæ Mentis facilitate, dum totus in obsequium tuum effundor, tuo patrocinio excipe fortunatum; vt fortiter beneficio tuo sustineam, quæ periucundè tibi tuæque gloriæ studia confeci gradum factura grauioribus disciplinis, si te senserint non improbauisse minores. Vale.

Emin. Tuæ Reuerendiss.

Deuotissimus seruus

Bernardinus Bartolus.



Optimo Lectori.



ARCE, optime lector, inculto, & festinato libello, quem imprudentior sanè Lucina non sponte nascentem excepit, sed abortiuum vi extraxit, dum ad meliorem organizationem vterus lentior ille quidem, sed studiosè tamen, ac timidè festinabat. Habes alia prolixius, alia digesta breuius, pro vt communioribus, aut minus communibus plus, minusue censuimus immorandum; nempe vt consuleremus claritati potius, quàm moli non magnopere in paruo metuendæ. Ordinem aut doctrinæ, aut naturæ rerum in vniuersùm ne require; eum enim tenere commodius visum est, quem idonea in pauca partitio, consiliumque scribendi suasere: quando hic non docemus, sed exponimus, quod didicimus; vt ita quem animo composuimus mundum, vtinam non muliebrem, magno illi, ac diuino Mundo, partibusque illius opportunius cor-

res-

respondere videatur. Illud ex animo profitemur, nos hìc vno veritatis duci studio, quam tam sanctè, tamque syncera, & quieta speculatione secuti sumus, vt, si multa (quod quidem credimus, & dolemus) incautius exciderint, at certè nihil affectata rerum nouarum ambitio intulerit, nihil iacta alea sententiæ obstinatioris extorserit. Vale.





INDEX

CAPITVM.

Partis Primæ.

Partis

Partis Secundæ.

Partis Tertiæ.

Partis Quartæ.



In-



Index rerum,

Quæ in hoc libello vberiùs explicantur.

A

Vni-

B

C

Cale-

De-

D

E

liter

F

Ge-

Li-

L

M

Mun-

N

O


P

Pro-

 Sen-

FINIS.

EMI-



PARS PRIMA
ORIENS,
seu
DE SCIENTIA.



1. 
VOD Deus in opificij sui molimine prima statim die per omne theatrum secuturæ creationis diffuderit lumen, hoc loco nobis imitandum esse arbitrati sumus, vt primùm omnium naturam scientiæ exequamur, quæ nimirum ad instar luminis tum sui manifestatiua, tum alterius & Orientem hunc ritè impleat, &, quæ cęteris in partibus huius Microcosmi statuenda sunt, ità opportunè collustret, vt, quantum

 fieri

fieri poteſt, nihil vlla iam occurrat in parte, quod ſcientia vel ſuper ſe ipſam reflexa, vel per cęteras obiectorum diſperſa facies proportionata non actuet claritate, & quaſi oculis intuendum exponat.

CAPVT I.

Quid ſit Scientia.

2. EST ergo ſcientia (propriè quidem; ſed latius tamen vſurpato vocabulo) intellectio quælibet certa, & euidens, quam certum eſt dari primùm in Deo intuitiuè comprehenſiuam reſpectu omnis ſcibilis, deinde in Angelis, partim intuitiuam tantùm, partim comprehenſiuam etiam, imò & abſtractiuam, tum non diſcurſiuam, tum diſcurſiuam; variè pro varia aut naturæ ipſorum præſtantia, aut obiectorum ſcibilitate: tertiò in humanis (& quidem præter infuſam paucis conceſſam) de nouo naturaliter acquiſitam vſu, & exercitatione cognoſcendi. Vt enim habemus ad ipſam natiuum inſtinctum, ac vires, neque per ſe, neque per accidens naturaliter in vniuerſum impedibiles; ſic id aſſequimur, vt ſciamus; & de facto non parua metaphyſicè, phyſicè,

ficè, mathematicè certò intelligimus, quæ pueri ignorabamus: nempe sua est inter intellectum nostrum, intelligibiliaque proportio, qualis prope est inter visibile, & visiuum; vnde, sicut datur in nobis visio, vbi per potentiam visiuam pro libito feramur in visibile; ita datur in nobis scientia, vbi rite feramur in scibile.

3. Est etiam illud certissimum argumentum dari scientias in nobis, quod passim in scripturis habentur principia scientifica, & discursus tum forma, tum materia eiusdem rationis cum ijs, quæ nos naturaliter adhibemus in scientijs; cuiusmodi sunt illa: Non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala, &c. &: Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis, &c. &: reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Ex his enim conficitur, vera ergo a nobis intelligi, & bonas methodos ad intelligendum, & discurrendum vsurpari.

4. Neque verò aut error est Creatoris, quòd rationalem animam creet nihil scientem: an enim error est produci animata mole minora iustis staturis suis, cum perfectà primò fiant hoc ipso, quod habent vim comparandi pro corpore, aut spiritu, quę desint? aut dicendi sumus

solummodò reminisci, cum nec sit obseruare vllum rationabile indicium, aut in memoria, aut in totis nobis scientiæ vllius præhabitæ, nec quomodo in obliuionem venerimus, & frustra creasset Deus omnes, vel multas scientias in anima post corporeis formis breui ita delendas, vt ne sciremus quidem, quod præfuerint.

5. Quod si quandoque pueri interrogati circa quæstiones scientificas rite responderunt, fuit illud non ex reminiscentia, sed vel quia interrogati fuerunt de clarissimis, primisque principiis, vel ordinatè de proximis ad prima principia. Obiectorum autem corruptibilitas non impedit scientiam nobis, sicut non impedit Deo; quia, vt vt corruptibilia sint; habent tamen prædicata essentialia ipsis verè, vel conditionaliter, vel absolutè conuenientia, vt de possibilium cognitione a numero 17. dicetur: respectu quorum habet scientia esse fixa, & immobilis: non item illam impediunt errores sensuum, qui aut non errant, aut corriguntur tum multifariam, tum maxime se se euehente intellectu supra res non sensatas. Quod si Angelus argueret contra intellectum humanum rite scientem, licet ipsum fortasse irretiret argumentis, vt soluere prorsus nesciret; non tamen hic

hic ideo de ſcientiæ ſuæ euidentia, & certitudine deturbaretur.

6. Habet ſcientia totius regionis ſuæ limites, finitimamque gentem, a qua diuiditur, non omnino tamen interdicto commercio. Etenim per hoc, quod euidens ſit, contradiſtinguitur tum a fide humana, & diuina, tum ab opinione, & dubio, ſuſpicione, conſultatione, ſolertia, coniectatione, & multò magis ab ignorantia: etenim hæ omnes cognitiones obſcuræ ſunt: per hoc verò, quod certa eſt, diſtinguitur ab omnibus ſupradictis cognitionibus naturalibus, quæ hoc ipſo quod ineuidentes ſunt, ſunt etiam incertæ; a fide verò diuina non diſtinguitur, cum & ipſa certiſſima ſit, niſi dicamus hoc ſenſu ab ipſa etiam diſtingui, quatenus ſcientia eſt certa certitudine viſionis, quia ſc. euidens eſt; fides verò certitudine piæ affectionis.

7. Quibus tamen non obſtantibus benè poteſt ſcientia ſtare ſimul cum opinione, & fide diuina tum de eodem, tum de diuerſo obiecto: hoc eſt propoſitione obiectiua, abſque eo quod claritas, & certitudo vnius opponatur obſcuritati, & incertitudini alterius. Sicut enim albedo de ſe non dulcis, tamen ſimul poteſt eſſe cum dulcedine in lactè, ita poteſt fides, licet de ſe non clara, & opinio, licet de

se nec clara, nec certa, esse in intellectu cum claritate, & certitudine alterius; quia scilicet non repellunt claritatem, vel certitudinem a consortio,& subiecto suo, esto secum illas non ferant; sicut albedo non repellit dulcedinem a suo subiecto, quam tamen nec secum affert, nec per se confert subiecto.

8. Imò sicuti vita vegetatiua, & sensitiua de se irrationalis tamen potest realiter identificari rationalitati, vt contingit in homine, ita scientia, fides, & opinio coalescere possunt in vnicum actum sibi identificantem perfectiones scientiæ, fidei, & opinionis, & meliorem, quam sint ipsæ singulæ, atque adeo carentem oppositis limitationibus, & imperfectionibus singularum. Et ratio horum est, tum quia non est vlla contradictio ex parte horum actuum, tum quia noster intellectus potest non solum plura pluribus cognitionibus; sed etiam plura non pluribus cognitionibus simul attingere, pluribusque motiuis, & perfectionibus affirmare: vt passim conceditur posse voluntatem plura pluribus, & plura non pluribus amoribus adamare: quin etiam admittendum est de alijs quoque entitatibus specie diuersis, quòd, etsi duo semel diuersa identificari ad inuicem amplius non possunt nisi mero figmento rationis;

tionis; tamen benè poteſt dari tertium coaleſcens ex his, ſeu dicens formaliter identificatas ſpecificas perfectiones eorum, puta tertium quid ex auro,& vitro, aut ex argento, & aere. De facto enim identificantur in Deo omnes formalitates ſimpliciter ſimplices diſperſæ per creaturas, & probabiliſſimè multa ideo ſunt perfectiora alijs, quia. Quæ diuiſa beatos efficiunt, collecta tenent, & identificata ſibi.

9. Neque verò hinc ſequitur futurum ergo eundem intellectum, vel etiam actum abſolutè clarum, & obſcurum; certum, & formidoloſum; certè enim fides, & opinio ſunt eſſentialiter obſcuræ,ſed non ita vt obſcuritas ſit quid identificatum ipſis: nihil enim eſt obſcurum hoc pacto, quia ſcilicet identificet ſibi obſcuritatem, & priuationem luminis, quæ vt potè formaliter negationes non poſſunt eſſe de eſſentia rei poſitiuæ; ſed tantum ita potius dicendæ ſunt obſcuræ de ſe, quatenus non ferunt lumen euidentiæ, vt aer eſt obſcurus de ſe, quia de ſe non habet lumen,vnde benè tamen ſtare ſimul poſſunt, & componere cum luminoſo, & euidenti, vt frigus de ſe non dulce, aut luminorum, tamen ſtare poteſt in eodem ſubiecto cum dulcedine,& lumine; imò & iiſdem identificari.

Quo eodem titulo non esset idem intellectus, aut actus certus, & formidans, propterea quod formido non est essentiale quiddam opinioni, nec proprietas in vero rigore metaphysico ab opinione sequens; cum nulla ratio sit in iudicio opinatiuo, vnde sequatur formido, quæ tantum negatiuè sequitur, quatenus opinio de se non affert positiuam certitudinem in intellectu, vel actu. ergo nil mirum, si stet opinio sine hoc, quod est formidare, vt stat vita vegetatiua hominis sine hoc, quod est esse irrationalem.

10. Erit ergo dictus intellectus, vel actus simpliciter certus, & euidens, esto consideratus inadæquatè, vt dicit tantum fidem, vel opinionem in ordine ad earum pręcisa motiua sit obscurus, & formidolosus radicaliter impropria tamen radicalitate. Porro vbi contingat dari aliquam simplicem intellectionem iudicatiuam, realiter quidem vnam, sed ad multa obiecta tum materialia, tum formalia contingere potest, quòd eadem sit cognitio vera, & falsa; certa formaliter, & formidans; clara, & obscura respectu diuersorum; sicut fere contingit, vbi quis vnico intuitu videt multa, puta exercitum, in quo casu alij milites clarè cognoscuntur, de alijs dubitatur, alij reputantur etiam aliter, ac sint. Neque in

hoc

hoc est maior difficultas, quam quòd idem sit similis, & dissimilis diuersis rebus. quod sine distinctione reali, vel formali contingere dicemus in metaphysicis numero 96. & seq.

11. Quæ de opinione, & fide diuina dicta sunt, eodem proportionaliter modo intelligenda sunt de reliquis supra memoratis cognitionibus, nisi sit peculiaris ratio, vt est in actu erroris, seu ignorantiæ prauæ dispositionis, quæ non potest in eodem intellectu simul esse cum scientia, cum sit ita affectus intellectus noster, vt non possit simul affirmare duo euidenter contradictoria, vnde nec posse easdem identificari. Non enim dari potest eiusmodi accidens, cuius non potest dari subiectum proportionatum, etsi non potest idem vitaliter affirmare, & negare simul idem de eodem, nec poterit eadem cognitio esse formalis affirmatio eiusdem de eodem, vt nequit esse idem ens, & non ens. Visio intuitiua, & scientia abstractiua tum infusa, tum acquisita, vt de facto fuerunt in Christo Domino, possunt stare simul in eodem intellectu, & de eodem obiecto, imò & istas posse vnicum esse actum tum inter se; tum cum fide diuina iisdem, quibus supra titulis dicendum est: non enim repugnat, quod eadem imago spiritualis vt quo te-

præsentet idem pluribus modis, vt potest eadem repræsentare plura diuersa. Cum quo stat verum esse quod in patria non est fides, nempe non est ibi actus fidei seorsim acceptus, & absolutè obscurus, esto dari tamen posse tum erga visa, tum erga non visa asserendum sit.

CAPVT II.

De Scientia partiali, & totali, actuali, habituali, vbi & de habitibus.

12. DATA natura scientiæ quo ad an sit, & quid sit nunc magis explicanda est diuisione singularum partium, & specierum eius. Primòque occurrit totalis, & partialis: & scientia quidem totalis est aggregatum multarum scientiarum partialium dicens vnitatem quandam extrinsecam secundùm vnum peculiare genus viæ, seu principiorum, per quæ in omnibus eius aggregati scientijs partialibus procedi solet. Scientia verò partialis est vel quilibet singularis actus, habitusque scientificus, vel potius quælibet classis plurium huiusmodi actuum, vel habituum diuersa obiecto materiali, vel formali quod, sed iisdem principijs, eademque via cum alijs compartibus sub

aliqua ſcientia totali procedens, cuiuſmodi ſcientiæ partiales, Mathematicæ quidem ſunt Geometria, & Arithmetica, Phyſicæ, quæ tractat de Cælo, & quæ de generatione; Metaphyſicæ, quæ de ente, vel de Deo.

13. Actualis ſcientia eſt ipſa operatio euidenter intelligens, ſeu ipſa intellectio in actu ſecundo rem aliquam certo, & euidenter cognoſcens. Scientia habitualis, vt rite explicetur, ad altiorem nos vocat indaginem, nempe vt naturam ipſam habituum explicemus, vnde habitualis dicitur: idque eo vel maximè in ſcientia præſtandum eſt, cum potiſſima pars humanæ ſcientiæ, quæ de facto habetur, habitualis ſit. Porro habitus naturales, de quibus hic nobis ſermo, vis quædam, & virtus ſunt nata facilitare, & meliorare potentiam aliquam ad aliquas ipſius operationes, acquiſita vſu, & exercitatione earumdem operationum, ad quas facilitare nata eſt; Quam rationem habitus dari manifeſtum eſt: canendo enim, & ſcribendo, & temperatè, vel vitiosè operando, quod ab initio difficulter præſtamus, acquirimus habitum, hoc eſt vim, vt facilius, & perfectius illa ipſa operemur. In quo benè hi habitus diſtinguuntur tum ab habitibus ſupernaturalibus, qui dant non poſſe facilius, ſed

ſimpliciter poſſe, tum a bona habitudine, ſeu valetudine, quæ generaliter eſt virtus potens tam ad actus, per quos acquiſita eſt, quam ad reliquos omnes potentiæ ſanitatem habentis.

14. Licet autem multæ ſint in vnoquoque viuente potentiæ operatiuæ, non tamen habent omnes acquirere ſibi habitus. Primò enim eos non acquirunt potentiæ ad vegetatiuam pertinentes, nec ſenſitiuæ externæ, quas, experientia patet, ſi ſanæ ſint, & cum debitis requiſitis, operari facillimè, nec vſu acquirere, vt facilius operentur, niſi vires, & valetudinem meliorem acquirant. Secundò ne potentiæ quidem loco motiuæ, vel appetitiuæ acquirunt proprie habitum in ſe ipſis; eſto contingat, quod manus ſcribendo, lingua canendo, & voluntas virtuosè operãdo inde habeant facilius operari. Et ratio huius rei eſt, quia ex vna parte inexplicabile eſt, quomodo hæ potentiæ generent in ſe virtutem hanc ipſas facilitantem, cum quicquid operantur potentię quidem loco motiuæ ſit tantum motus localis, & potentiæ appetitiuæ ſit tantum appetitio, qui ſunt actus, nec perſeuerantes in potentia poſt ipſius operationem, nec habentes virtutem conſimilia generandi; ex alia ſaluari poteſt iſtam maiorem facilitatem venire

illis

illis a superiore potentia nempe cognoscitiua, quæ vsu, & exercitatione cognoscendi, & dirigendi potentias sibi subiectas eas facilius moueat, dirigatque. Est hæc opinio pauciorum: Sed Card. Lugo. pro multis. tom. de Incar. disp. 16. sec. 7. ostendit se eam tenuisse in philosophicis.

15. Vnde illud reliquum est, vt in potentijs ergo tantum cognoscitiuis admittendus sit habitus, nempe quas & vsu cognoscendi vsque, & vsque facilius cognoscere manifestum est, & constat producere, & retinere in semet, & in sui memoria sensitiua, vel intellectiua species impressas, quæ sunt virtus actiua concurrens ad cognoscendum, ac proinde potentius concurrens, & adiuuans, quo potentiores ipsæ, & actuosiores sunt: nec potest harum potentiarum facilitas refundi in aliam, a qua trahantur ipsæ ad faciliorem operationem, cum ipsæ sint primæ viuentium potentiæ & natæ facilitare cæteras, ac mouere, quò facilius, efficaciusque cognoscunt, aut dirigunt; sicuti ex rite facili, velocioreque cursu primæ rotæ in horologio, reliquæ non impeditæ facilius, velociusque mouentur.

16. Quare in tantum manus alioqui sana acquirit exercitatione, vt facilius sonet,

net, in quantum vsu sonandi intellectus melius, ac melius & cognoscit quomodo sonandum est, & assuescit dirigere manum sonantem; & similiter in tantum voluntas acquirit vsu virtuosè operādi, vt facilius operetur, in quantum eodem vsu habetur melius intelligere ipsius virtutis bonitatem, quæ inde proponatur efficacius voluntati; vnde per consequens facilius ipsa se moueat, licet non necessariò ad bonum melius propositum.

17. Neque verò ideo negamus his habitus canendi, scribendi, cæterarumq; artium, aut virtutum, vitiorumque, quę magna ex parte exercentur potenti js loco motiuis, & appetitiuis; sed eos reuocamus ad propriam sedem, in qua recipiantur esto ordinati nō tantum ad actus cognoscitiuos; sed inde etiam ad alios, & multò magis actus ipsos vitij, vel virtutis volumus esse voluntatis, & in voluntate, vt etiam actus potentiarum loco motiuarum.

18. Sed non quæcumque species impressæ rationem habitus tenent, esto habeant rationem dispositionis ad habitum: illud enim præterea requiritur, vt intensiores, perfectioresque sint; vel hoc tandem contingat pluralitate, & vsu frequentatorum actuum, vel vno aliquo actu heroico, quo potentiæ cum maiore

vir-

virtutis operatiuæ efficacia intensius operentur: vnde fit, quod habitus sit non solum efficacius comprincipium intellectui ad intelligendum; sed etiam, quod sit immobilius, & promptius, & animo frequentiùs occurrant ea, quorum habitus acquisiuimus.

19. Non requiritur ergo ad habitum potentia libera, non enim habitus habet rationem determinantis; sed facilitantis ad actum potentiæ, in qua est, vel etiam aliarum inde pendentium. Rursum falsò statuitur habitus consistere in alia qualitate speciebus superaddita, quia, sicut nec voluntas aliam qualitatem producit, quam volitionem, & aliæ potentiæ, vel appetitiuæ, vel loco motiuæ aliud non producunt, quam appetitionem, & motum; ita intellectus, & potentiæ sensitiuæ non habemus, quòd producant quicquã aliud, quàm species sensitiuas, vel intellectiuas impressas, aut expressas. Dicendum ergo esse has, vt meliorari possunt, sic posse magis, & magis conferre ad actus cognoscendi, ad quos habent esse melior, & melior virtus actiua.

20. Quod si potest aliquis habere simul perfectissimos habitus, speciesq; cognoscitiuas rerum vel infusas, vel acquisitas, atq; adeo bonorum vel insensilium, vel sensilium tum eiusdem generis, tum

dis-

disparati, & contrarij; tamen non ideo hab bit habitus contrarios, puta scientię, & erroris, vitij, & virtutis, nisi in remisso. Difficultant enim contrariæ species contrarias, si propriè non remittant: Vnde non tam expeditè poterit quis ad actus alterius ferri se excitantibus habitus contrarij speciebus, & in oppositum, quantum de se, mouentibus magis, minusue pro vt hic, aut alter habitus perfectior est.

21. Quapropter is non dicendus est habere huius, vel alterius vitij habitum, qui licet cognoscat bona sensibilia eo pertinentia, tamen vel æque, vel melius cognoscit opposita, ad eaque facilius inclinatur. Quæ est ratio cur Christus Dominus cognoscens omnem rerum bonitatem tum sensibilem, tum rationalem nullum habitum vitiosum habuerit, cum præ summa rerum cognitione, hoc ipso ad optima tantùm se se haberet mouere. Quod si quis haberet species intensissimas infusas boni tantum sensibilis, & vitiosi vel per possibile, vel per impossibile, hic vtiq; haberet habitus vitiorum, & si nullum fecisset actum, vt haberet habitum scribendi, & velocissimè scriberet, qui nullo antecedenter facto actu scribendi haberet infusas perfectas species directiuas manus sanæ ad scriptionem.

nem.

nem. Quòd autem, qui ſcribit, aut ſonat ex habitu, dicatur operari non aduertens, non ideo probat dari habitum in manu, verè enim aduertit, ſcribitque, ac ſonat, dirigente intellectu, eſto aduertat minus, quàm poſſit aduertere, cum ſit impoſſibile legere, vel ſcribere etiam ex habitu, intellectiua potentia non operante.

22. Eſt ergo iam ſcientia habitualis nihil aliud, quam ſpecies impreſſæ intellectui intenſiores factæ vſu, & exercitatione ſciendi, hoc ipſo natæ facilitare intellectum ad conſimiles actus, per quos ipſæ generatæ ſunt, & impreſſæ; quas, qui habeat, hic enimuerò ſcientiatus eſt, cum actum primum proximum actualis ſcientiæ teneat: & intenduntur ſpecies huiuſmodi vel initio ſuæ productionis, hoc ipſo quòd efficaciore virtute producantur, vel vſu, & exercitatione, additioneque gradus ad gradum, ſeu ſpeciei ad ſpeciem; vel fiat hæc additio, quia intellectus non ſolum cum primò, ſed quotieſcumque intelligit, producit nouam ſpeciem impreſſam rei intelligendæ addendam præexiſtenti, & remanſuram in memoria, vel quia ſpecies expreſſa producta ipſa remaneat, & titulum ipſa quoque ſpeciei impreſſæ ſortiatur.

23. Et verò habet intendi habitus hu-

huiusmodi dupliciter, quod & de reliquis habitibus dicendum est; primò nouis, ac nouis aliarum rerum cognitionibus habitudinem aliquam dicentibus ad præexistentem scientiam: ferè enim nunquam rite quis aliquem scientiæ actum repetet, quin noua obseruatione aliqua imbuatur (est hoc perfici habitus satis impropriè, quo modo perficeretur sapor alicuius cibi, non additione consimilis saporis, sed admixtione nouorum.) Secundò intenditur habitus intensione propriè dicta per additionem planè consimilium graduum: posse enim circa idem obiectum reale, ac formale haberi cognitionem vel abstractiuam, vel intuitiuam, vel etiam comprehensiuam aliam alia perfectiorem admittendum est: sicut dicendum est eundem Angelum inferiorem melius comprehendi, vel supercomprehendi a Deo, quam ab Angelo superiore: & idem obiectum ex eodem loco, vel ex viciniore melius illuminatum, melius etiam videri pro vt melior est species visibilis, & tandem sicut perfectius ingenium cognoscit melius aliquod axioma, quàm cognoscatur ab hebetiore, vnde habet etiam plura inde deducere.

24. Nec absurdum est dari duas mensuras adæquatas eiusdem se inuicem ex-

ce-

cedentes intensiuè, non extensiuè: nec est inintelligibile, quòd sit differentia in cognitione non petita ex obiecto: posse enim esse ex alio, & alio modo non secundùm speciem; sed secundùm perfectionem homogeneam tendendi in idem. Porro, vt scientia habitualis, cæterique habitus producuntur, & perficiuntur vsu, & exercitatione ipsorum, ita remittuntur, & destruuntur, vel cessatione, eo quòd succedat obliuio totalis, vel partialis nouis aliquo modo trudentibus vetera magis, minusue in hoc, vel illo cognoscente, pro vt diuersum est temperamentum memoriæ: vel exercitatione contrarij habitus, qua positiuè impediantur, quæ opposita sunt. Plura tamen de intensione vide infra part. 4. num. 140. & sequ.

CAPVT III.

Diuisio scientiæ in primam, & secundam; speculatiuam, & practicam.

25. PRæcedenti capite scientiam diuisimus secũdùm suas quasi partes magnitudinis: restat, vt hic diuidamus præterea secundùm gene-

genera, & species: quod est secundùm varietatem obiecti considerati; cum non alia notabilius via differant ab inuicem hæ nostræ scientiæ, quam per ordinem ad diuersitatem obiecti. Et quoniam in hoc nati sumus, vt, quam habemus scientiam, eam acquisiuisse debeamus, & non illam quidem subitò, aut simultaneè; sed alia ex alijs discentes: rite hic ponimus primò diuisionem secundùm ordinem sciendi, vt liqueat, quæ prima, quæ secunda sit, & quod primò cognitum nobis, quod secundò. Licet enim, quæ natura sua essentialiter priora sunt, sint etiam natura notiora; Cognosci enim sequitur ad inesse, vt quodammodò etiam notiora sunt, seu magis noscibilia, ait S. Thomas, quæ perfectiora sunt; tamen respectu nostri alius est cognoscendi ordo, qui, vt non scimus, nisi euidenter sciamus, vtiquè ab euidentissimis nobis auspicandus est, vt possit nobis optatum scientiæ lumen de tenebris nostris splendescere.

26. Vt autem datur & principium absolutè primum, vt Deus, & Principium absolutè secundum, sed tamen in aliquo ordine Primum, vt Adam in ordine hominum, & Lucifer in ordine peccatorum, sic tria possunt statui nobis notiora, seu primò cognita. Primò primum cognitum absolutè primum omnium

nium cognitorum: secundò primum cognitum in ordinè scientiarum, tertiò primum in ordine alicuius scientiæ totalis, secundùm quæ tria prima cognita erit proportionaliter ponere tria genera primarum cognitionum: primarum absolutè, primarum in ordine ad scientias, primarum in ordine ad hanc, aut illam scientiam.

27. Et loquendo de primo cognito absolutè, vtique est corporeum singulare, sensibile, quia hoc obijcitur primò sensui percipienti res sensibiles, vt a parte rei sunt. Sunt autem omnes corporeæ, & singulares, ergo hoc idem obijcitur intellectui, qui immediatè cognoscit primò eadem mensura, quod sensus perceperunt. Vt enim vniuersalia sunt post singularia, sic etiam necessariò abstrahit intellectus a prius cognitis singularibus. Dixi verò corporea, non corpus, tum quia potest primum omnium cognosci sonus, vel odor, qui facile accidentia sunt; tum quia etiam si primò cognoscatur per tactum, vel per visum, vel per gustum, tamen non necessariò cognoscitur, quòd sit corpus, ne in confusò quidem, vt non cognoscimus intuentes sacram Eucharistiam; quam enim speciem sui transmittit corpus ad sensum, vt formaliter vel in confuso cognoscatur? Porro huiusmod sin-

singulare non solum habet cognosci primò apprehensione intellectus; sed etiam cognitione iudicatiua non quidem formali, sed identica, quæ est prima omnium cognitionum, & euidens, & quodammodò similis cognitioni intuitiuæ, qua sine distinctione prædicati a subiecto cognoscitur obiectum esse illud ipsum, quod est.

28. Esto enim propositio identica rite dicatur inutilis, quatenus per eam nunquam benè respondemus quærenti; nam, si quæratur, quid sit Petrus, frustra dicimus Petrum esse Petrum, propterea quod nemo illud quærit, aut dubitat; est tamen vtilissima, & absolutè necessaria, vt sciatur, quid sit ipsum obiectum, quod cognoscitur; alioquin potius esset mera obiecti apprehensio incerta, quàm certa cognitio quid sit. Non enim ideo cognosco, quid sit Petrus, quia cognoscam esse animal rationale, hoc enim tantum cognosco Petrum distinctius, sed Petrum scio quid sit, quia iudico, seu eum repræsento tali operatione, qua sciam esse quod est (vt de secunda operatione intellectus ex S. Th. dicemus) quod stat sine distinctione subiecti a prædicato, quod idem proportionaliter est dicere de Maximo omnium axiomate: Quod est necesse est esse: ly enim: necessè:

cessè: abundat, dicitque tantùm ipsam exercitam propositionis exercitæ euidentiam.

29. Post quas propositiones identicas singulares, de quid sit, habent sequi aliæ multæ propositiones item singulares de quid non sit, hoc est distinguentes alterum singulare ab altero; sed istæ propositiones, vel singulæ per se, vel simul omnes, (Quo pacto sunt scientiæ experimentales) esto sint omnium cognitionum tum scientificarum, tum non scientificarum primæ, atque adeo absolutè primæ, & circa primum cognitum absolutè, vnde benè dici possunt scientiarum initium, & rudimentum; tamen nec scientiæ absolutè sunt, nec prima earum principia, tum quia nimis confusæ sunt, & nos quod distinctè non cognoscimus, quasi ignoramus, tum quia non sunt ratio virtualis, cur ignotiora cognoscantur; sed potius turbant diuersa singularia cognoscentem, suaque multitudine confundunt: Quæ est ratio, cur intellectus noster auidissimus claritatis maximè sit propensus ad abstrahendum, & distinguendum: ita vt non nisi per abstracta, & rite distincta procedat.

30. Primum ergo in ordine scientiarum principium, seu scientia prima, cognitioque scientifica ea est, quæ habetur

de obiecto non quidem immediatè, vt transmisso a sensibus ad intellectum, sed ipsius intellectus, præuijsque comparationibus, ac varia negotiatione intellectus abstracto a singularibus; cuiusmodi obiectum duplex esse potest, alterum ita clarum facileque, & apparens intellectui secundùm suum esse, hoc est ita proportionatum nostræ intellectiuæ potentiæ, vt vbi ritè sit propositum, nullo indigeat præterea requisito ad hoc, vt euidenter, & directè cognoscatur quid sit: & hoc huiusmodi obiectum dicitur per se notum, estque primum cognitum in ordine scientiarum, primumque earum obiectiuum principium, vt cognitio certa, & euidens eiusdem est primum principium formale. Alterum obiectum similiter vniuersale, & a singularibus abstractum, ignotius est, & ita improportionatum intellectui, vt licet ipsi rite propositum, tamē nō ideo cognoscatur, quomodò obiecta colorata de se sunt improportionata visui, vnde videri non possunt, nisi lumine proportionentur: cum e contrario lumen se se ipso primò, & per se visui proportionatū sit, & primum visibile: Et eiusmodi obiectū abstractum (quod dicemus secūdò cognitum) ex primò notis cognoscendum est, oriente cognitione scientifica secunda ex ea, quæ primò habita est.

31. Quæ

31. Quæ tàm certa sunt, quàm certum est diuidi omnem propositionem scientificam in per se notam; vt: quod est necesse est esse, totum est maius sua parte; & non per se notam, vt dari materiam primam, basim maiorem subtendere maiorem angulum, & si quæ huiusmodi, quas cognoscere, & iudicare impossibile est, nisi ex ante cognitis iudicentur. Sed vt secundæ scientiæ complexæ omnes sunt tum ipsæ, tum formalia earum obiecta; sic contra prima principia, vel formalia, vel obiectiua sint, alia sunt complexa, alia incomplexa. Principium obiectiuum incomplexum est ratio aliqua obiectiua per se primò clara, & cognoscibilis, vnde alia cognosci queant, cuiusmodi sunt v. g. totum, pars, ens, corpus &c. & principium formale incomplexum erit cognitio eiusmodi obiecti iudicatiuè cognoscitiua, absq; eo quod tamen vlla de ipso alia ratio formalis prædicetur, quod est esse cognitionem identicam. Principium autem obiectiuum complexum sunt duæ rationes per se primò notæ connexæ, vt ens bonū, verum, seu vnum, vel totum maius sua parte, sicut principium formale complexum sunt propositiones de his, vt ens est bonum, aut verum, aut totum est maius sua parte.

32. Porro eadem proportionaliter ratione primum cognitum vniuscuiusque scientiæ est ratio aliqua obiectiua eiusdē primò, & per se nota, seu certè notior cæteris inde sequentibus, & prima principia formalia sunt axiomata, & propositiones præ cæteris clarissimæ de huiusmodi ratione per se nota formaliter, quæ propositiones per consequens semper, vel æquè, vel magis vniuersales sunt præ cæteris in eadem scientia factibilibus, vnde verissimum est, quòd in scienti js procedendum est ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia. Quod si Arist. 2. post. t. 22., & alibi docet a singularibus procedendum esse ad vniuersalia, id eo sensu notat, quo diximus primò cognosci singularia, a quibus inductione collectis, nec sufficientibus tamē ad esse primum principium in scienti js abstrahenda est ratio vniuersalis, quæ verè habeat cæterorum noscibilium esse primum noscibile, ac lumen.

33. Prima ergo tandem, & notissima ratio, omniumque scibilium inter humanas scientias radix euidentissima dicenda est ratio entis secundùm id, quod est ipsa, hoc est secundùm totum eius esse actuale; secundùm quod simplicissima ratio est, atque adeo facillima cognitu, & vnde primò possit ordiri naturalis po-

ten-

tentia ab imperfectioribus tendens ad perfectiora; & esse notissimam hanc rationem patet, tum experientia; nemo enim nescit, quid sit ens, & si hoc nescit, nescit & cætera; tum quia principia communiter admissa tanquam præ cæteris euidentia: Quod est, necesse est esse; Impossibile est idem simul esse, & non esse; aliaue huiusmodi, ea ideo sunt tam certa, & euidentia, quia de ipso ente sunt.

34. Quare, cum quæstio de primo cognito absolutè fiat in ordine ad scientias, non verò ad sciendum ordinem, quasi historicum nascentium cognitionum nostrarum, vel certè soleat fieri in primo Physico, ad inuestigandum, qua via sit procedendum in physicis, ne simul scientia, & modus sciendi quæratur; malè statuitur pro primo cognito vel singulare sensibile, vel ratio entis tantùm, cum & alia sint prima cognita, & per se nota in alijs scientijs; vel ratio aliqua specierum infimarum quæ eo difficilius cæteris paribus noscibiles sunt, quo sunt perfectiores; vnde & difficilius abstrahibiles sunt, nec vllius scientiæ totalis possunt esse principium. Quærere autem, quamnam operationem faciat intellectus post cognitionem, distinctionemque singularium, & quasnam prius rationes ad

inuicem comparet, abstrahatque, quasnam prius confusè, vel distinctè attingat, an rationem corporis, an viuentis, est in summa contingentia quęrere historiam non minus inutilem scientijs, quam inobseruabilem: idque pro eo vt quæramus verum, & per se connexum ordinem certarum cognitionum, secundùm quem aliæ ab alijs scientifica progressione dependent: quod quærere id demum vtile est, atque ad rationem scientiæ, pro vt contingit in nobis, cognoscendam apprimè necessarium.

35. Quo stante rite ergo diuiditur scientia in primam, & secundam; hoc est in per se euidentem, & discursiuam, seu euidentem ex alia, primaque scientia actualis dicitur axioma, seu dignitas, primumque principium, vt habitualis dicitur intellectus, hoc est habitus primorum principiorum: secunda scientia dicitur demonstratio, seu etiam scientia, retento nomine communi, eaq; vel actualis, vel habitualis sumatur. In quo tamē illud est obseruare, quod distinguuntur ab inuicem actus, vel habitus principiorum ab actibus habitibusque scientiarum, vt inclusum ab includente: scientia enim discursiua hoc ipso inuoluit prima principia, & conclusionem præterea, aliasque dicit inde, & inde ex primis prin-

principijs demonstrationes, at prima principia habent stare per se, & sine vllo discursu, vllisue cognitionibus deductis.

36. Secunda scientiæ diuisio fit in speculatiuam, & practicam, pro vt omnium scibilium alia sunt considerabilia speculatiuè, hoc est merè sistendo in contemplatione obiecti, perque principia prius nota de eius esse, alia sunt considerabilia practicè, hoc est cum intentione ad operandum obiectum, perque principia primò nota de eius operabilitate, seu bonitate in ordine ad operationem: tota enim scientiæ speculatiuæ ratio circa obiectum suum versatur, vt sciat quid sit, quæque eius proprietates, & habitudines illas vestigans, explorans, definiens, nihilque aliud præterea præstans: & tota scientia practica versatur circa suum obiectum, non vt sciat, quid sit; sed vestigans, concludensque quomodo faciendum, vel factibile sit, atque adeo mouens, dirigensque ad ipsum efficiendum. Et principia speculatiuæ scientiæ, vt profundè notat S. Th. p. 2. q. 95. art. 2. sunt de vero, de esse, & de non esse; principia verò practicæ sunt de bono, vt factibili, & obtinendo: puta bonum esse faciendum, vitandum malum, temperandam ritè harmoniam, fugiendam dissonantiam, vnde progressionibus

discursiuis deriuantur in singulis scientijs practicis propositiones practicæ particulares, de proprijs earum obiectis faciendis.

37. Et in hoc consistit cognitionem, ac scientiam practicam regulatiuam esse, ac directiuam, seu regulam, ac præceptum esse operationis faciendæ: quòd illa non cognoscit merè quid sit, aut quomodo fiat obiectum suum sicut Angeli v. g. cognoscunt quid sit, & quomodo fiat chorea, huiusmodi enim cognitio hucusque versatur circa essentiam, ac proprietatem rei; sed præterea cognoscit hoc, aut illo pacto faciendam esse hic,& nunc in ordine ad præintentum finem; vnde fit, quod voluntas iam in bonum illud mota, quod est huiusmodi scientiæ practicæ principium primum, habeat se mouere etiam ad eliciendam, aut imperandam eiusmodi operationem practicè cognitam, atque adeo cognitione regulante faciendam.

38. Sed tria sunt obiectorum regulabilium genera, quæ cadant sub scientia practica. Primò operationes voluntatis, quas cognitio præuia hic, & nunc, vt bonas, vtilesque, & hoc, aut illo modo faciendas proponit; Secundò operationes aliarum potentiarum, quæ voluntati subduntur, nempe quamplurimæ intel-

lectus,

lectus, aliæque loco motiuæ, & ipsæ benè, & malè factibiles; tertiò cadunt sub scientiam practicam, & si non omnem opera ipsa artium, quæ remanent post operationes, quæ item factibilia sunt, secundùm quòd cognitio practica docet esse bona, & vtilia ad finem præintentum. Quæ est ratio, cur in scientijs practicis obiectum earum nō distinguatur a fine immediato, & intrinseco, cum tractet de illo, quod intendit fieri, ex principijs bonitatis eius vniuersalissimè per prius notæ, & posterius discursiuo, practicoq; progressu notæ particulariùs, & distinctiùs, secundùm quòd hìc, & nunc particularis quælibet bonitas in ordine ad vltimam, & primò notam bonitatem facienda est.

39. Secundum quam diuisionē obiecti, scientiæ practicæ diuiduntur in varias scientias practicas, seu artes, pro vt bonum illud vniuersalissimum, quod scientia practica, vt sic spectat, nempe felicitas naturalis hominum, (hic enim sermo est de scientia practica naturali) habet diuidi saltem ex parte in bona diuersa magis particularia ad illud vltimū ordinata: vnde alia scientia practica est prudentia regulatiua humanorum actuū, alia logica regulatiua discursuum, alia architectura regulatiua fabricæ, & sic

de cæteris; quarum magna pars dici possunt merè artes, quatenus ab artificibus maximè mechanicis addiscũtur, nescientibus scientificam probationẽ rectè operandi: esto absolutè omnes sint scientiæ practicæ natura sua, cum & habeant probare conclusiones suas, & praxes dicantur operationes ipsæ, quas regulant.

40. Licet autem obiectum scientiæ practicæ sit vel opus factibile, & praxis simul in ijs, quæ relinquunt opus post se, vel praxis tantùm in ijs, quæ non relinquunt; tamen non ita hoc intelligendum est, quasi omnes praxes, omneque opus factibile sint tantum obiectum scientiæ practicæ: sunt enim etiam speculatiuæ. Quia, quicquid rerum est, esto non possit considerari practicè (dantur enim obiecta non factibilia) tamen potest considerari speculatiuè, & præscindendo ab eius operabilitate, vt planum est, cum possit quodlibet considerari præscindendo ab hac, vel illa ipsius proprietate, aut gradu essendi. Vnde possunt omnes scientiæ communiter appellatæ simpliciter practicæ ex æquo partiri in practicas, & speculatiuas, puta rhetoricam, medicinam speculatiuas, & practicas; nisi si, qua parte speculatiuè agant, ad aliquam ex infra dicendis scientijs totalibus pertinere potius dicendum

dum sit: quæ res non parum dubitabilis est.

41. Neque verò ideo omnis cognitio boni aut sensitiua, aut intellectiua practica est, quia scilicet hoc ipso se habeat appetitus mouere ad eiusmodi bonum. Etenim cognitio practica non est, quæ videt quodlibet bonum, sed quæ cognoscit operationem benè regulabilem, & in ordine ad aliud bonum factibilem, quæ operatio propriè tunc tantùm habet rationem praxis, inquantum eius potentia benè, & malè operari potest. Vnde est quod ipsa cognitio practica dicatur norma, & regula, quia eiusmodi operationem cognoscens præscribit qualiter facienda sit, vt dicitur præceptum, quatenus repræsentans bonitatem vtilem eius, illam quodammodo intimat faciendam.

42. Multò minus hinc sequitur eandem ergo formaliter propositionem, puta: syllogismum debere constarē tribus terminis; futuram, quantum ad sui intrinseca, speculatiuam simul, & practicam: Speculatiuam, quia attingit vel essentiam, vel proprietatem syllogismi, practicam verò, quia imperatiua est, & proinde attingens bonitatem illius. Hoc enim tantùm probat idem esse obiectum materiale practicæ, & speculatiuæ: Sed

differunt primis principijs, & via procedendi, hoc est obiecto formali, cum altera habeatur per principia boni, altera per principia veri, speculatiua quatenus cognoscit proprietates, bonitatem, naturam syllogismi, vt fluentem a notioribus essendi rationibus, practica, vt cognoscit hæc eadem per notiores rationes bonitatis, in ordine ad quas faciendus est Syllogismus: vnde hæc dicit ordinem ad voluntatem, a quo cognitio speculatiua præscindit: quæ est ratio, cur in practicis propositionibus vel insit, vel subintelligendum sit ly: debet; in speculatiuis verò non sit, vel abundet.

43. Porro omnis scientia practica habet primò obiectum seu subiectum materiale in quo: ipsam scilicet praxim, puta scriptionem, imò etiam ipsum opus factibile, puta scripturam, aut frænum, in quæ inducat rectitudinem intentam, seu quæ fiant cum intenta rectitudine: itaq; subiecta considerat tantùm secundùm eam naturam, & proprietates, secundùm quas spectant ad intentam rectitudinem, vt naturam ferri secundùm quòd est ductile in frænum, naturam vocis secundùm quòd est grauis, acuta, & sic de cæteris. Secundò habet obiectum formale quod, & est ipsa rectitudo inducibilis, quam considerat scientia practica vti-

vtilem ad finem intentum. Tertiò habet obiectum materiale de quo prædicationis, & est ipsum opus, vel operatio in actu primo recta: de fræno enim, & de domo, & de scriptione, & de discursu prædicat, & præcipit ars; & huiusmodi obiectum distinguitur in duo correspondentia duobus præcedentibus, alterum nempe subiectum prædicationis, alterum quod prædicatur. Quartum obiectum scientiæ practicę est obiectum formale sub quo, & est illa ipsa rectitudo secundùm notissimas suas rationes, seu illud primum, per seque notum bonum huius rectitudinis, ex quo cognoscitur, ac ordinatur cætera bonitas, & rectitudo ad intentum finem: sic in musicis notum est harmoniam esse opportunam ad animi leuamen, & esse concordiam vocum, omnesque, vel quamplurimas voces, vt vt varias, habere aptitudinem, vt compositione coalescant in harmoniam. Ex quibus quatuor obiectis integratur obiectum attributionis scientiæ practicæ, quod est operatio, vel opus dirigibile, vt dirigibile ad præ intentum finem.

44. Sed hæc obiecta, vt etiam contingit proportionaliter in scientijs speculatiuis (quibus tantum danda sunt tria obiecta, materiale de quo, formale quod, & formale sub quo, quia non inducunt

illæ formam in vllum subiectum, sed considerant natiuam) vt plurimum non sunt distincta realiter, sed ratione tantum: cantus enim, vt acceptus secundùm quòd factibilis est benè vel malè præcisim a rectitudine inducta, vel inducibili, secundùm se est obiectum in quo; vt ipsa rectitudo inducibilis est obiectum formale quod, & idem acceptus in confuso est obiectum materiale de quo; vt rectitudo prædicatum, & obiectum formale quod. Non enim est absurdum, quod eadem sint & obiectum formale quod inducitur, & obiectum formale quod prædicatur, vt idem cantus est subiectum, quod dirigitur, & quod in prædicatione subijcitur. Vt autem ista non necessariò ab inuicem distinguuntur, sic neque distinguuntur ab his illæ rationes formales cantus notiores cæteris, & ideo obseruabiliores primò, vnde cæteræ obseruentur, inueniantur, ac dirigantur, quod est obiecta materialia, & formalia, vt quod non distingui realiter ab obiecto formali quo, seu sub quo.

45. Cognitio autem practica ista considerans duo genera operationum dirigit: primò operationes voluntatis immediatè, imò illas solùm, vbi scientia practica sit de operationibus voluntatis, cuiusmodi prudentia est, vbi autem scientia pra-

ctica

ctica habet pro obiecto operationes aliarum potentiarum, puta intellectus, vocum, manus, &c. tum secundò dirigit mediatè cæteras operationes, quatenus de ipsis præcipit, quomodo faciendæ sint, vt implicitè primariò præcipit voluntati, quomodò sint imperandæ: cognoscere enim opus, vel operationem factibilem, vt bonam ad præintentum finem est ipsam formaliter dirigere vel mediatè, vel immediatè tandem: loquendo autem de scientia habituali, illa est huiusmodi scientia practica, quæ est habitus eliciti- uus actuum dirigentium, & proindè habet rationem mediatè directiui.

CAPVT IV.

Diuisio scientiæ in Metaphysicam, Physicam, Mathematicam; vbi & de sacra Theologia.

46. Diuiditur tertiò scientia speculatiua diuisione celebri in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam; quæ diuisio non est arbitraria, nec pinguis, vt aliquibus videtur, Mineruæ; sed petitur ex natura rerum iuxta triplicem viam, seu iuxta tri-

triplicis generis principia, obiectaque formalia, sub quibus habemus omne scibile speculari. Etenim quicquid speculabile est, vel est speculabile a priori, hoc est per principia prima, vniuersalissimaque, qualia sunt ens, & principia entis, & hæc est via Metaphysica; vel est speculabile a posteriori, hoc est per effectus, motusque, & mutationes per se notas, & hæc est via Physica; vel tandem est speculabile, vt ita dicam, a concomitanti, & a simul, per habitudinem scilicet, & commensurationem vnius ad alterum, & hæc est via Mathematica.

47. Triplicem abstractionem non ponimus in diuisione scientiarum, quia esto verè Physica abstrahat a materia singulari, Mathematica etiam a sensibili, Metaphysica etiam ab intelligibili; tamen sicuti scientiæ partiales, & particulares meliùs diuiduntur in ordine ad medium terminum, ita scientiæ totales distinguuntur opportuniùs per obiecta formalia, viamque procedendi, eo vel maximè, quòd adhuc eodem modo differrent, etiam si non abstraherent dicto modo a materia; si tamen diuersa via procederent: & contra non differrent nisi admodum materialiter, si abstraherent quidem diuersimodè a materia; sed tamen eadem via procederent: vt scientia ani-

mæ

mæ rationalis vt ſic eſt Phyſica, & tamen abſtrahit a materia tum in concluſionibus, tum in primis principijs a poſteriori, qui ſunt eiuſdem effectus, vt rationalis eſt. Quod ſi compoſita Phyſica non diſtinguimus ſubiecto, nec forma ſubordinata, ſed abſolutè forma vltima, ſic conſentaneum certè eſt, quod non diuidamus ſcientias ad inuicem nec ſubiecto, nec prædicato, nec vlla alia circumſtantia; ſed ipſo medio termino, quæ eſt prima, & vltima ratio, ſecundùm quam in hac, aut illa ſcientia obiecta conſiderantur.

48. Neque verò ſtatui poſſunt pauciores ſcientiæ: licet enim vnica Metaphyſica per ſe ſola conſideret ens, vt ens, & omnes ſpecies eius, proprietates, & habitudines, vnde ſe habet extendere etiam ad obiecta materialia aliarum ſcientiarum, ſed vna ſemper, & eadem ſibi propria procedendi via; tamen hoc non tollit, quod non ſint aliæ duæ diſtinctæ procedendi viæ habentes ſua principia prima, ex quibus alius ordo, moduſque ſciendi inſtituitur, aliaque non per ſe inuenibilia a ſola Metaphyſica cognoſcuntur, vnde per conſequens ſint aliæ duæ ſcientiæ totales. Sed neque plures ſtatui poſſunt ſcientiæ totales; quæcumque enim aſſignabitur, neceſſe eſt,

quod

quòd ad aliquam ex tribus explicatis viam reducatur.

49. Has verò scientias ad inuicem esse contradistinctas patet; quantumuis enim in aliquibus materialibus obiectis, vel etiam formalibus subordinatis conueniant, nunquam tamen conueniunt ob recto formali, ac primo eoque sufficienti ad illam diuisionem, quæ scientiarum sit propria.

50. Porro scientia Metaphysica, quæ & prima Philosophia, & Theologia naturalis rite dicitur, euidentissima, & vniuersalissima scientiarum est, vt pote quæ per necessariam absolutè connexionem medij termini notissimi cum extremis natura sua procedens in vniuersalissimum scibile extenditur. Veram habet sapientiæ rationem, cum & omnium scientiarum sit abstractissima a sensu, & a materia, & ab vniuersalissimis procedens habeat probare tum sua, suarumque scientiarum partialium, tum quæ sunt alterius etiam scientiæ totalis, idque per altissimas, & vniuersalissimas causas. Tamque dubitari potest, an ista scientia detur, quam liceat dubitare, an sint, quę euidentissima sunt.

51. Obiectum adæquatum attributionis Metaphysicæ, quod, vt cætera scientiarum obiecta, integratur ex adę-

qua-

quato subiecto, & prædicato hoc est ex omnibus subiectis, & prædicatis secundum aliquam vnitatem conuenientibus, vt similiter vno medio termino cognoscibilibus, est ens, vt ens, hoc est omnia entia, omnesque species, & proprietates eorum, vt a nobis scibilia per principia entis, cuiusmodi sunt: quæ sunt necesse est esse: Quodlibet est, vel non est: Quod est, vel est a se; vel ab alio: Totum est maius sua parte: si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia, aliaque huiusmodi: de duobus enim vltimis bene notat Fonseca, quod sunt per prius Metaphysica, quam Mathematica.

52. Proinde malè restringitur obiectum Metaphysicæ, quod sit, vel solus Deus, vel alia quidem genera rerum, sed tantum vniuersalissima, puta substantiã, aut accidens vt sic, relationem, qualitatem vt sic, & si quæ alia huiusmodi, quia licet hæc vel realiter, vel ratione abstracta sint a materia, non tamen habent quo ad nos peculiarem viam considerationis (cum materialia quoque, & sensibilia possint immaterialiter, & insensibili via contemplari) vnde non possunt esse obiectum adæquatum vllius scientiæ totalis; atque licet Deus sit primum principium essendi, non tamen est vniuersa-

lissi-

lissimum, aut notissimum primum principium obiectiuum cognoscendi, cuiusmodi est ratio entis vt sic. Multò minus excludendus est Deus ab obiecto Metaphysicæ, quia non habeat principia sui secundùm esse, cum & dentur principia cognoscendi, ex quibus & ipse cognoscatur, & per nostrum intelligendi modum aliæ rationes, perfectionesque diuinæ sint origo nobis cognoscendi alias, vnde quin imò Deus est obiectum principale Metaphysicæ, cætera entia minus sunt principalia.

53. Neque verò, quod Metaphysica descendat vsque ad speculandas inferiores, imo & infimas entis species, hoc ideo tollit, quod vniuersalissima scientiarum sit, tum propter latitudinem obiecti materialis, tum quia ex vniuersalissimis speculatur. Illud verum est non esse de obiecto Metaphysicæ negationes, seu priuationes vt tales, nec entia rationis; cum ista non habeant vllam veram naturam entis, & scibilitatis; esto considerentur tanquam fines, & quodammodo rationes oppositæ ipsi enti vero, vt melius ipsum ex oppositione illorum cognoscatur: Sed neque ens per accidens obiectum est Metaphysicæ, aut vllius scientiæ, quia, vt tale, non est per vllum genus necessariæ connexionis vllo euidenti

prin-

principio demonſtrabile.

54. Scientia Phyſica, quæ & Philoſophia naturalis dicitur, ineuidentior Metaphyſica, & Mathematica, non tamen decedit a ratione ſcientiæ, vt quæ ſunt certa tantum moraliter: idque, non quia ſit tantummodo certior, magis enim, vel minus non variant ſpeciem, ſed quia ſecundùm naturæ ordinem, & connexionem certa eſt, & euidens; quod non obtinent, quæ moraliter certò ſcimus, cum determinatam connexionem natura ſua non habeant: & certè malè diceretur non ſufficere ad ſcientiam huiuſmodi Phyſica certitudo; cui enim ſatis non ſit tanta ſciendi certitudo, quanta eſt ipſius naturæ certa connexio?

55. Prima origo huius ſcientiæ ſunt cognitiones ſenſitiuæ, tum intellectiuæ experimentales, tertiò axiomata experimentalia, puta dari alterationem, & motum, & corpus, & generationes non abſtrahendo more Metaphyſicæ, vel Mathematicæ ab eo, quod exiſtant, ſed probando exiſtere; vt axiomata eius non ſunt de poſſibilitate, vel natura vt ſic motus, aut generationis, ſed quod dantur de facto.

56. Obiectum Phyſicæ eſt corpus naturale vt naturale, hoc eſt non corpus Mathematicum, quod nihil eſt aliud,

aliud, quam abstracta ratio essendi longum, latum, & profundum; Sed corpus substantiale habens naturam, seu tale, quod sit natura, & principium motus; certum enim est quod hoc obiectum aliqua vna ratio obiecti est, tum quo ad materiale, vt patet; ratio enim corporis naturalis vt sic est vnum quid, ac scibile; tum quo ad formale quod, cum hoc ipsum, quod est corpus naturale, omnesq; eius rationes sint de ipso prædicabiles: & certum item est inesse corpori naturali rationem medij termini, seu primi principij, quo procedatur ad ipsummet corpus naturale cognoscendum, & hoc est ipsa per se primò euidens mutabilitas, ac generabilitas, seu mobilitas eius, ex quibus cætera in Physica cognoscuntur. Cum ergo sic assignatum obiectum habeat vnitatem, & viam propriam procedendi; nihil illi deest ad hoc, vt sit obiectum vnius scientiæ totalis, quam esse Physicam nomen ipsum ostendit.

57. Deus non est de obiecto Physicæ; quia esto sit a posteriori attingibilis quod est; tamen non est principium motus in se ipso, nec nisi Metaphysicè cognosci potest quid sit: Substantiæ separatæ non sunt de obiecto Physicæ; quia non est vlla physica ratio ad probandum eas dari, & quotquot effectus videmus supe-

rare

rare vim agentium ſenſibilium , refundi poſſunt vel in Deum, vel in animas ſeparatas: male item dicitur obiectum Phyſicæ eſſe ſubſtantia mobilis, vel naturalis, quia in aſſignatione obiecti alicuius ſcientiæ, vt bene probat Zabarella, debet tam latè patere ſubiectum, quàm prædicatum; alioquin alterutrum non conſideraretur totum, & ſtrictè nimis aſſignatum eſſet. Benè tamen anima rationalis, etiam vt talis, eſt de obiecto Phyſicæ, quia, etiam ſi non eſſet cognoſcibilis eius rationalitas per ſenſibiles mutationes, tamen verè eſt cognoſcibilis a poſteriori.

58. Et hæc eſt ſententia Ariſtotelis tum de ſublunaribus, tum de Cœlis, tum de animatis omnibus veſtigans per motum; neque enim aut ens, aut ſubſtantia eſt immediatum, & conuertibile ſubiectum motus, vt vt Philoſophus definierit, motum eſſe actum entis, quia nondum ſtabilierat, quod omne corpus eſſet mobile. Et eſto aſtronomica vſu iam introducto, qua ſpectant etiam ad Phyſicam, tractentur a Mathematicis, tamen non ideo ſunt extra aleam obiecti phyſici: quod autem aliqui confundant Phyſicam, & Metaphyſicam in vnam ſcientiam, male ſentiunt; cum ſi non obiecto materiali, certe obiecto formali, & via procedendi diuerſæ ſint.

59. Non

59. Non item recte diceretur Physica esse Metaphysica, saltem eatenus, quatenus habet ex multis a posteriori collectis probare alia iam a priori; dupliciter enim contingit, quod habita a posteriori natura aliqua, probemus inde ex ipsa, atque adeo a priori eius proprietates: Primò vt pendentes a posteriori, & de de facto; & hæc est probatio adhuc physica, & resolubilis in prima principia physica: Secundò probamus abstrahendo ab eo quod de facto, & accepta vt sic natura, tanquam specie entis, ac proinde secūdum abstractionem metaphysicam; & hæc erit verè probatio metaphysica,& post physicam quidem, sed tamen non more physico deriuata.

60. Mathematica etiamsi nec a priori, nec a posteriori demonstret, atque adeo nec cognoscat, definiatque suum obiectum, nec cognoscat quid sint proprietates eius; sed tantum habeat de illo quidem cognoscere; de his verò demonstrare quod sint (abstractiuè tamen ab actuali existentia) atquè adeo multum decedat a ratione optimæ scientiæ; tamen verè scientia est certa, & euidens per causam cognoscendi, nempe per connexionem necessariam vnius mensuræ notioris cum alia ignotiore: dantur enim & hìc multa principia, & axiomata mathe-

thematica inuoluentia certas proportiones, & mensuras, ex quibus sua peculiari via, a concomitanti scilicet, habent ad ea, quæ sunt ignota procedere.

61. Et licet in plures diuidatur scientias partiales: primò in Mathematicas puras, quæ scilicet solam quantitatem considerant, vt sunt Geometria, quæ quantitatem Molis, sub qua sunt Altimetria, Planimetria, Stereometria speculatiuæ, & practicæ lineas, & superficies, & corpora metientes, & Arithmetica considerans quantitatem discretam: Secundò in mixtas, quæ scilicet considerant quantitatem sensibilem, cuiusmodi sunt Cosmographia, Gnomonica, Geodesia, Mechanica, Musica, Nautica, & Optica, omnes speculatiuæ item, & practicæ.

62. Cosmographia enim versatur circa quantitatem mundialem; diuiditurque in Astronomiam, quæ Cœli, ac syderum quantitatem, ac motus, & distantias metitur; & Geographiam, quæ metitur quantitatem terrarum, & regionum, earumque cum cælestibus proportionem: Gnomonica verò motus præcipuè Solis considerat per vmbram Gnomonis, & horologia: Geodesia mensurat altitudinem puta Montium, & Turrium in quacunque distantia, tum multitu-

titudinem quarumcumquè rerum positatum, vel possibilium in dato loco. Mechanica metitur grauitatem & leuitatem, motumque grauium, & leuium, ac practicè viam mouendi considerat. Musica tonos, & voces: Nautica rectū in mari cursū ex Astronomia, & Geographia, altitudinesque marium speculatur: Optica supposito transmitti radios visuales, eorum quantitatem considerat, Vndeque hic & nunc magna appareat ex alio, & alio loco varietas, pro vt per alia, & alia media directè, vel reflexè, vel secundum refractionem, fiat visio: Licet inquam sic rite diuidātur Mathematicæ, tamen semper, quod speculantur, est quantitas, vel molis, vel discreta, vel ponderis, vel motus secundùm quòd mensurabilis mensuris notis, & primis; vnde principia illius sunt (vltra definitiones quantitatiuas secundum mensuram) totum esse maius sua parte; si ab æqualibus, &c. & pari modo secundùm eiusmodi principia mathematicæ practicæ operantur circa quantitates vel molis, vel discretas, vel ponderis, vel motus.

63. Eo autem magis confirmatur Mathematicam esse scientiam; quia, cum sit certa, & euidens, per consequens est conformis diuinæ scientiæ, quam Deus ipse habet de quantitatibus, & mensurabili-

bilitate causa; ergo licet differat, deficiatque secundùm perfectionem cognoscendi a scientia diuina, tamen absolute est scientia, cum non deficiat in essentialibus, certitudine scilicet, & euidentia; vt vt principia, quibus concludit, sint quidem necessariò connexa ipsi subiecto materiali, & formali quod mathematicæ, sed tamen nõ raro extrinseca. Quod si Aristoteles diuisit omnẽ demonstrationẽ in a priori, & a posteriori, id fecit traditurus artem demonstrandi in Physicis, & Metaphysicis, vt in quibus illo ipso tempore grauissimè peccabatur, quæq; eius consilio futuræ erant vsui; at mathematicas non tractauit; cum nec mathematica traditurus esset; & iam illæ rite procederent, ipso teste Arl., qui non paucis in locis laudat mathematicas demonstrationes.

64. Iuuat hìc superaddere sacram Theologiam, propterea quod, & si supernaturalis est scientia, tamen iam Deus ipse dignatus inhabitare luteas domos, quas fecit, reddidit illam nobis admodum familiarem. Est hæc scientia secundum quid, nempe cognitio discursiua certa, non euidens: eius principia prima, & indemonstrabilia sunt omnes propositiones formaliter reuelatæ, vel reuelabiles, aliaque principia naturalia, vt cum

his reuelatis habent coniungi ad conclusiones inferendas; vnde obiectum materiale, & formale quod Theologiæ sunt res omnes deducibiles philosophicè ex reuelatis, aut reuelabilibus. Deficit hæc a ratione scientiæ simpliciter sic dictæ, quia obscura est; quæ enim credimus, bene ait S. Aug., nescimus: vnde, quæ deducimus ex creditis, per consequens deducimus ex nescitis.

65. Non sunt autem ita distinctæ supradictæ scientiæ ab inuicem, vt nihil prorsus habeant affinitatis, atque commercij: etenim primò cōmunicant obiecto materiali de quo, & formali quod; cum eadem propositio demonstrari possit physicè, & metaphysicè: puta materiam esse puram potentiam, & subiectum commune, & motum esse actum entis in potentia: & metaphysicè probari potest perpendicularem incidentem rectæ, facere duos angulos rectos, vel duobus rectis æquales. Imo scientia physica ad plurimas suas demonstrationes indiget principijs metaphysicis per se notis & rationibus etiam ignotioribus ex illis deductis, puta nihil ex nihilo fieri, naturam nihil facere frustra, causam efficientem esse saltem æquè perfectam, ac effectum, & similia.

66. Quæ tamen non probant Physicam

cam

cam ita permistam esse Metaphysicæ, vt vnam scientiam constituant; satis enim differunt procedendi modo: & licet aliqua principia, propositionesque metaphysicas vsurpet Physica, ea tamen vsurpat tanquam subordinata principijs suis, vnde non ideo variat suum procedendi modum a posteriori, & de facto, & eodem modo materialiter permixtam metaphysicam, & mathematicam diuersæ semper viæ distinguunt. Vnde, qui dicunt, Mathematicam differre ab alijs scientijs, propterea quod peculiaria adhibet instrumenta, regulas, circinos, astrolabia, nunquid intelligunt, quod aiunt?

67. Maior cadit mixtio inter scientias, vbi subalternatio intercedat, quæ nihil est aliud, quam vnius scientiæ respectu alterius quasi subiectio. Scientia enim subalternans superior est, & prior, & independens in demonstrationibus suis: in quibus contra scientia subalternata pendet a principijs subalternantis, quæ etiam minus vniuersalis est. Porro subordinantur tum practicæ practicis, tum practicę speculatiuis, tum etiam speculatiuæ speculatiuis.

68. Practicæ subalternatæ practicis sunt illæ, quarum finis intrinsecus medium est respectu finis intrinseci alterius

Vnde est, quod Frænifactoria subordinatur equestri, & Lanificium Textoriæ: accipiunt enim ab ijs præcepta saltem prima. Subordinantur verò practicæ speculatiuis, quatenus accipiunt cognitum subiectum, in quo rectitudo practica inducatur: naturam enim ferri, & lanæ ductilis, & operationum intellectus, quantum necesse est cognoscere, vt practicus sciat, quomodo materiam subiectam tractare debeat a scientijs speculatiuis acceptam habere debet. Sic scientia practica medica subordinatur scientię physicæ, vnde virtutem lapidum, & herbarum cognoscit: sic orator accipit aliunde naturam affectuum, & animorum: vnde multam prorsus habent scientiæ practicæ pro diuersitate subiecti, quod tractant, indigentiam principiorum ex Physica, Mathematica, & Metaphysica desumptorum.

69. Speculatiuæ subalternatæ speculatiuis ideo dicuntur subalternatæ, quia obiectum earum contractum est, & sub genere subalternantium: contractum quidem non differentia essentiali, siquidē potius essent scientiæ partiales, quā subalternatæ; sed differentia accidentali, quo modo Optica, quæ tractat lineas sensibiles, & visuales, subalternatur Geometriæ, quæ speculatur insensilem quanti-

tita-

titatem. Vnde vera est communis illa diuisio subalternationis ratione obiecti, ratione finis,& ratione principiorum: ratione enim obiecti subalternantur speculatiuæ speculatiuis, quæ, cum habeant eumdem finem, eademque principia, differunt tamen obiecto accidentaliter contracto; ratione autem finis subalternantur practicæ practicis, cum finis subalternatæ sit medium ad finem subalternantis; ratione autem principiorum subalternantur practicæ speculatiuis, quatenus ab ipsis mutuantur principia de suo saltem materiali subiecto.

70. In quo illud obseruandum est, quod non ideo tamen dicetur scientia Physica, vel Mathematica subalternari Metaphysicæ. Esto enim Physica indigeat quidem principijs metaphysicis ad complementum suarum probationum, tamen ita illa assumit, vt de sua procedendi via nihil recedat, tenorem seruans natiuum; imò ita probans, vt demonstrationes suas habeat vltimò resoluere in experientias sensibiles satis per se primo certas. Et ex duabus præmissis altera physica, & de de facto, altera (vbi contingat) metaphysica, abstrahente sequitur conclusio physica, & de de facto. At vero scientiæ subalternatæ ita indigent principijs subalternantium, vt pro-

cedant non propria via; sed eadem, qua subalternantes, quæ est ratio, cur rite dicantur non aliæ prorsus scientiæ, sed alteræ, & sub altera, atque adeo subalternatæ.

CAPVT V.

De Logica, & Obiecto eius.

71. NON est hic locus tradendi prolixiorem doctrinam de Scientijs practicis diuidendo eas secundùm sua genera, & species; neque enim, qua scientiæ practicæ sunt, continent procedendi modum peculiarem, scituque dignam eruditionem supra eam, quam in vna scientia logica exequenda afferemus, quæ præ cæteris hoc loco ponenda est, quia tum ipsa, tum obiectum eius, aut est scientia, aut magnam habet cum scientijs affinitatem, quas quodammodo scire docet, & , si Logicam tollas, necesse est vel nullas esse, vel certè esse imperfectas.

72. Illud certum est duplicem dari Logicam, naturalem alteram, & ingenitam; alteram artificialem, & vsu acquisibilem. Logica naturalis est ipsa virtus intellectus nostri, qua rectè habet ratiocinari, & circa proposita obiecta ritè

ritè operans, certusque operationum suarum non declinare ad dexteram, nec ad sinistram: quam Logicam is tantum neget, qui non habeat, cuique prauo aliquo temperamento valde sit hebetata: & clamat experientia, quod, licet multis erratum sit ante inuentam Logicam artificialem; tamen & multis rectè ratiocinatum est, cum ne comparari quidem potuisset artificialis, si nulla præextitisset Logica naturalis.

73. Non minus certum est dari Logicam artificialem, quæ est habitus acquisitus vnde instruimur ad rite ratiocinandum regulis nunquam fallentibus. Ex vna enim parte docet experientia, quod præcisè ab his regulis non pauci contingunt passim errores, vbi ad discurrendum accedimus, & ex alia omnis operationis humanæ, maximè adeo necessariæ, quæ sit benè, & malè factibilis, debet dari ars, qua instruamur ad rectè operandum (alioquin nimis malè consultum nobis esset in re magni momenti) eò vel maxime, vbi non sint necessaria valde peregrina, eminentia præcepta, quæ aciem humanæ inuentionis effugiant.

74. Obiectum Logicæ alij statuunt esse ens rationis; sed perperam, si sermo sit de impossibili, & ficto ente in qua-

cumque tandem materia fingatur, quia huiusmodi ens nec est factibile benè, aut malè, nec est cognoscibile, nisi ab errore, nulla autem scientia est error. Alijs placet, quod obiectum Logicæ sint res omnes, vt substant nostris intentionibus, aut ipsæ secundæ intentiones subiecti, prædicati, generis, speciei, & similium: sed esto Logica consideret secundas intentiones, & terminos obiectiuos, & sic quodammodò res omnes, secundùm quòd habent esse termini obiectiui, & facere ad cognitionem operationum intellectus, atque inde ad directionem earum, vnde sint vt sic obiectum considerationis; attamen patet hæc non esse obiectum attributionis Logicæ, cum nec sint finis ipsius, nec sint illud, quod fit, quodque ipsa regulat, dirigitque, certè enim a Logica non regulantur res omnes.

75. Malè item ponitur obiectum Logicæ esse voces, vel per se sumptas, & vt tales, cum nec vllum sit de ipsis cognoscere præceptum, vt ritè fiant, nec stet in illis ea directio, qua opus ad ratiocinandum habemus: vel sumantur, vt sunt signa conceptuum, quo in casu tantum considerari debent, vt perspecta vi earum sic significatiua discursus ratiocinatio recta intellectus rectè verbis explicetur, quod

quod item nihil est amplius, quam esse obiectum considerationis.

76. Sed neque bene dicitur obiectum Logicæ esse tres operationes intellectus: prima enim non est regulabilis, vt nunquam errat secundùm formam, esto erret quandoque secundùm materiam apprehendendo res aliter, ac sunt. Et de facto non est afferre vllam primam apprehensionem, quæ non sit in forma, nec est inter præcepta Logicæ afferre, quæ spectant ad dirigendam hanc operationem: esto habeat considerari a Logica, vt sciantur, quæ sunt partes quodammodò componentes Enunciationem, & ratiocinationem, hoc est, vt sciatur intellectualis acceptio eorum, quæ prædicantur, vel subijciuntur in secunda, & tertia operatione, cum ibi prædicentur, ac subijciantur secundùm quòd per prius apprehensa sunt. Et falsum est, quòd omnes scientiæ, omnisque Logica eò tendant, vt ritè apprehendamus: esto enim certè apprehendat melius obiecta scientiatus, quam rudis; tamen hic vtique non est finis, sed potius sequela scientiæ, quæ alioquin malè ordinaretur ad operationem imperfectiorem, qua scilicet tam ruditer cognoscimus, vt nesciamus, quod cognouimus, & præterea valet, quod dicebamus eam rectitudinem apprehen-

ſionis non ſe tenere ex parte formæ, ac proinde non cadere ſub regulam ſcientiæ practicæ.

77. Ne ſecunda quidem operatio eſt obiectum Logicæ, propterea quòd neq; ipſa eſt regulabilis, & de facto nullum video in Logicis præceptum de forma ſecundæ operationis, nec auditur vnquã, aut legitur aliquam Enuntiationem peccare forma. Cuius rei ratio eſt, quia omnis ſecunda operatio intellectus, quantum de ſe, &, ſi ſtemus in eius ſincera claſſe, eſt primum principium euidens Phyſicè, vel Mathematicè, vel Metaphyſicè, vel moraliter, vel certum de fide, ſed in eiuſmodi primis principijs, hoc ipſo quòd ritè apprehendantur termini, & potentia diſpoſita ſit, impoſſibile eſt errare tum ſecundum materiam (exceptis principijs morali, & phyſico quibus tamen forma non peccatur,) tum ſecundum formam, cum potentia cognoſcitiua erga proportionatum, ac per ſe primò notum, opportuneque propoſitum obiectum non habeat errare, maximè errore Logicè corrigibili: & habemus experientiam, quod numquam ſtudemus circa formam iudicij, vt rectè iudicemus.

78. Omnem autem ſecundam operationem iuxta ſuam propriam lineam, & claſ-

classem esse primum principium, ex eo manifestum est, quòd omne iudicium vel est de per se primò notis, & est axioma, vel est de notis ex alio, & est discursus, ergo, si secunda operatio non est discursus, neque erit cognitio de notis ex alio, sed erit de notis tantum per se, ac proinde primum principium: quod patebit magis conanti iudicare primò, & non ex alio propositionem obiectiuam non per se notam: puta maiorem basim subtendere maiorem angulum; quod experietur esse impossibile iudicare, nisi ex alijs deducat.

79. Illud tamen verum est hanc quoque operationem considerari a Logico magna ex parte tum speculatiuè, vt sciat naturam eius, quæ vniuersalis, quæ particularis, quæ affirmatiua, quæ negatiua, quæ æquipollens alteri, quæ secus, & sic de reliquis: tum practicè quomodò poni possit in syllogismo, & vsurpari ad ratiocinandum; sed tamen, vt ex his patet secundam hanc operationem statui posse obiectum partiale Logicæ speculatiuæ; non tamen sequitur pari passu esse obiectum etiam practicæ; cum nulla sit eius practica consideratio ad ipsam ritè formandam, sed tantum ad componendum, & formandum ex ipsa syllogismum, in quo huius, vel illius generis,

& qualitatis propositio hic, & nunc collocari debet.

80. Etenim Enuntiatio componit syllogismum, quo modo plures v. g. flores, ac folia coronam, quæ artificiale quiddam est, esto flores omnes sint naturales: & ars quidem regulatiua coronæ floreæ requirit, quod eligatur pro hic, aut ibi hic, aut ille flos, & folium, at non regulat tamen ipsum fieri foliorum, aut florum; sed accipit (tantum artificiose eligens, & collocans) secundùm quod naturaliter facta sunt: sic Logicus artificialis ad faciendum syllogismum vtitur regula hanc, illamue propositionum eligens, rei jciens, collocans, iubens faciendam, sed nullam ipse regulat, dirigitque.

81. Quare illud reliquum est; vt sola tertia operatio intellectus, hoc est discursus, omnesque species eius sint obiectum Logicæ practicæ, & de facto hac vna operatione tam multa habemus errare secundùm formam, sicut plus nimiò docet experientia. Et hæc certa sunt ex ipsis præceptis logicis descriptis passim in libris, & disputatis in Scholis ad omnem nedum eruditionem, sed etiam satietatem ingenij: tum certa sunt auctoritate omnium sapientum, vnde benè S. Aug. 2. de ordine cap. 12. & 13.: hæc, ait, idest Lo-

Logica, docet docere, hæc docet discere: in hac se ipsa ratio intellectus nostri demonstrat, atque aperit, quid sit, quid velit, quid valeat: sola scit scire, sola scientes facere non solum vult; sed etiam potest. Et verò ipsi discursui conueniunt omnes rationes obiecti Logicæ, & est ipse finis intentus, vnde, qui bene syllogizat, Logicè agere dicitur.

82. Porro ipse discursus est obiectum in quo Logica inducit rectitudinem formæ, & ipse idem simul acceptus cum forma rectitudinis inductę est obiectum, de quo attributionis, quatenus vtile est ad bonum scientiæ, sub hac enim bonitate, & vt vtile, ac factibile propter scientias, tanquam sub primis suis principijs (vt dicebamus supra in genere de scientijs practicis) practicè consideratur. Post syllogismum vt sic sunt obiectum Logicæ eius species: demonstratio, tum definitio, & diuisio demonstratiuæ: Syllogismum enim probabilem, vt talem, non considerat Logica, quæ tota est propter scientias, & licet iucundissimum sit cognoscere maxime de nobilissimis rebus etiam probabiliter, tamen eiusmodi vt sic tractantur ab alioqui sciente, non a scientia.

83. Nec absurdum videri debet, quod ponamus definitionem in numero demon-

monstrationum: dico enim, quod triplex potest statui definitio: Prima, vt sit terminus complexus, puta: Animal rationale: & hæc, vt est mera prima apprehensio, sic potius rudimentum est definitionis, quàm definitio, non enim definit obiectum, qui illud nescit, nescit autem, qui merè apprehendit, vel per se, vel ab alio audiens. Secunda definitio est propositio per se nota, cuiusmodi sunt plures Mathematicæ definitiones, & aliquæ Physicæ, vel Metaphysicæ, puta: Punctum est, cuius nulla pars; Angulus est duarum linearum inclinatio; mutatio est transitus; quantum est diuisibile in ea, quæ insunt; quæ vt pote euidentes, sic non indigent, vt probentur: & sufficienter bonæ sunt, etiamsi non sint nisi cum implicito genere, & differentia; imò aliquid etiam abundet. Tertia definitio est cognitio explicans quidem naturam rei, sed nota ex alio, vel quo ad substantiam, vel quo ad modum definiendi rigorosiorem secundùm proprium, rigidumque genus, ac differentiam: & hæc necessariò, vel secundùm se absolutè, vel secundùm modum est demonstratio definitiua.

84. Et simili modo diuisio Logica, quæ non est nec quanti secundùm partes magnitudinis, nec totius actualis secundùm

dùm integrales, nec perfecti secundùm gradus perfectionis vt sic; sed vel totius vniuersalis in sua inferiora, vel graduum essendi in primos, & posteriores, secundùm quos habeat fieri demonstratio vel ab essentia ad proprietates, vel a proprietatibus ad essentiam, similiter inquam diuisio triplex est, & obiectum propriè Logicæ est, quæ simul sit demonstratio diuisiua.

85. Malè autem aliqui dicunt idem esse diuisionem alicuius totius, & definitionem eiusdem, cum vtraque sit, aiunt, cognitio partium. Nam definitio de se explicat essentiam quo ad quid est; at diuisio notat partes eius quoad quod est, nec explorat quid sint. Quæ autem sit demonstratio in communi, & quæ partes eius, ac virtutes dicemus capite sequenti, quo patebit etiam vberius tota latitudo obiecti Logicæ, & quæ sit optima demonstratio.

86. Porro hæc Logicæ obiecta esse considerabilia tum practicè, tum speculatiuè satis ex dictis supra manifestum est, sicut etiam certum est Logicam practicam subalternari speculatiuæ, vt cumque tandem pars speculatiua appellanda sit speciali nomine Logica, quæ nempe considerat per principia veritatis formalis per se nota, modique sciendi vt talis;

an

an potiùs appellanda sit pars Physicæ, aut Metaphysicæ.

87. Celebris est diuisio Logicæ in Docentem, & Vtentem: & docens nihil est aliud, quàm ipsæ cognitiones preceptiuę, & directiuæ demonstrationum, vel actu secundò dirigant, vel potentia tantùm. Logica Vtens, seu vsa, & exercita sunt ipsæ demonstrationes regulatæ a Docente, vel in propria, vel in aliena materia. Illud verum est, quod Logica Vtens in propria materia non distinguitur realiter a Docente, sed ratione tantum, cum eadem numero demonstratio sit Vtens, vt ab alia dirigitur, & docens vt aliam dirigit: Et dantur aliquæ regulæ Logicæ ita per se claræ, & certæ, & primæ, vt illæ regulent non regulentur; & per consequens erunt merè Logica Docens. Quibus sic stantibus erit per consequens diuidere & actus, & habitus ipsius Logicæ in materia logica, in directos, & erunt Logica vtens, & directiuos, & erunt Logica docens.

88. Vnde non placet, quod aliqui ponant regulatiuum in practicis nihil aliud esse quam Ideam, & minus quod dicant Ideas esse ipsum obiectum, ac finem Logicæ practicæ: Primò enim prudentia, aliæque scientiæ, vel artes directiuæ maximè operationum, esto doceant

quo-

quomodo amandum, ſperandum, ac ritè operandum ſit; attamen non faciunt huiuſmodi Ideam, vt poteſt vnuſquiſq; in ſemetipſo experiri, tum quòd non habet, & fortaſſe neſcit Ideam rerum huiuſmodi amoris ſpei, & ſic de cæteris, tum quòd eſto bene operaturus in practicis, præcognoſcat, quomodo operandum ſit, tamen non reſpicit ad vllam Ideam, quam imitetur in operando, quæ potius fruſtratoriè adhiberetur, cum ſatis ea ſimplici operationis præcognitione dirigamur ad operandum: quod non contingit in quibuſdam mechanicis operibus, ad quæ elaboranda vltra præcepta requiritur Idæa plurium contingentium, tum ad determinationem operis, tum ad adiumentum imaginatiuæ. Nec vllum eſt in Logicis præceptum de Idea facienda, & quæ dicuntur de Syllogiſmo Demonſtratione, &c. ea dicuntur de veris ſyllogiſmis, non de Ideis eorum.

89. Sic explicatam Logicam manifeſtum eſt eſſe neceſſariam ad ſcientias, ſi non ſimpliciter, ſaltem facile, & cum perfectione acquirendas, vt patet tum a priori, ſcilicet ex natura intellectus noſtri admodum proni ad errorem, niſi arte corrigatur, tum a poſteriori ex erroribus admiſſis paſſim a neſcientibus Logicam. Vnde, licet finis Logicæ intrinſecus ſit

ipſe

ipſe modus ſciendi, tamen finis extrinſecus eſt ipſa veritas, ſeu ipſe rectus modus ſciendi contractus ſecundùm omnem materiam ſcientiarum.

CAPVT VI.

De tribus intellectus Operationibus.

90. QVoniam tota Logica, ſcilicet tum ipſi actus, habituſque, tum obiectum ipſius ſcientiæ ſunt, hinc eſt, quòd ad plenam huius partis de ſcientia tractationem neceſſe eſt, afferamus, quid præterea ſit prima, quid ſecunda, quid tertia operatio intellectus, in quibus omne tandem conſiſtit rudimentum, negotiatio, & complementum ſcientiæ actualis, vnde omnis generatur habitualis ſcientiæ propago.

91. Eſt ergo prima operatio intellectus apprehẽſio ſimplex obiecti vel vnius, vel plurium ſimul nihil comparans apprehenſa adinuicem, nec componens, imò nec cognoſcens, qualiter ſe habeant, ſed merè illa repræſentans ſimul, ac neſciens. Dicitur benè terminus formalis, vt obiectum eius terminus obiectiuus, &

vox,

vox, aut ſcriptura ipſa ſignificans terminus vocalis, vel ſcriptus, quia iſta ſe ſe ad inuicem terminant, ac menſurant, vel quia ſunt pars, vel extrema, vel media, in quæ vltimò diuiditur propoſitio mentalis, vel vocalis, vel ſcripta, vel obiectiua.

92. Vnde conſurgunt diuiſiones terminorum vocalium, atque inde ſcriptorum, tanquam per prius noſcibiles, & aptæ ad explicandas diuiſiones ſecūdùm varias rationes, & characteres ipſarum apprehenſionum, & rerum. Porro diuiſiones huiuſmodi terminorum ſunt: primò ratione modi actiuè ſignificandi in vniuocos, analogos, denominatiuos; æquiuocos, ſynonimos, proprios, & improprios; ſecundò in ordine ad res ſignificatas, ſecundùm quod ſunt prædicabiles, vel ſubijcibiles in terminos ſingulares, vniuerſales, atque adeo genericos, differentiales, ſpecificos, proprios ſecundùm eſſe, & accidentales; tertiò in ordine ad certas rerum ſignificatarum claſſes in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & reliqua prædicamenta, cæteramque in ipſis prædicamentis rerum omnium ſeriem, nec non & alios tranſcendentales; quartò ſecundum certam comparationem huiuſmodi rerum ſignificatarum in ſuperiores, inferiores, reci-

pro-

procos, pertinentes, impertinentes, repugnantes, contrarios, priuatiuos, contradictorios, relatiuos; quintò secundùm modum, quo res significantur in categorematicos, syncategorematicos, complexos, incomplexos, abstractos, concretos, connotatiuos, absolutos, collectiuos, distributiuos, finitos, & infinitos; sextò demum diuiduntur secundùm leges, quibus habent in oratione, aut propositione copulari in subiectum, prædicatum, & medium terminum, nomen, verbum, &c.

93. Sed ad plenam huius primæ operationis, explicationem quantum Logicis vsibus cognoscere necesse est, vberius exponendi sunt termini vocales explicando vim significatiuam eorum: quam vt altius repetamus, dicendum est duplex esse signum. Formale, & Instrumentale: formale quidem, quod incognitum ipsum repræsentat alterum cognoscenti, cuiusmodi sũt species impressæ sensuum, vel intellectus: Signum instrumentale ex S. August. est illud, quod se ipsum sensui, & aliquid aliud manifestat intellectui: non quasi dari non possint signa insensilia, possunt enim dari inter Angelos vt patet, imò & potest aliquis ex spiritualibus effectibus, vel affectibus, quos experiatur in se, puta ex eo, quod hanc, illam-

illamue rem sæpius animo repetat venire in cognitionem quid amet, quid sibi salubre, vel proficuum sit, & contra quid noxium vel inimicum: sed sic traditur definitio ad explicandam rationem signi communis, & primi inter homines, quod necessariò debet esse sensibile, vel ducat in cognitionem rei sensibilis, vel insensibilis.

94. Communiter diuiditur huiusmodi signum instrumentale in naturale, & ad placitum, & etiam ex consuetudine, seu obseruatione. Naturale dicitur esse, quod habet natura sua ducere in cognitionem alterius, vt fumus ignis: ad placitum, quod ex libero instituto: signum ex consuetudine, quod notata connexione, vel naturali, vel ex accidente vnius cum altero iam ex vno ducit in cognitionem alterius, vt signum horæ est etiam signum prandij, & delphines signum sunt tempestatis.

95. Sed, vt benè, saltem ex parte notat Toletus pri. Perili. quæst. prima, non benè admittuntur propriè signa naturalia, cum natura non instituerit ad huiusmodi munus res suas, puta vt fumus significet ignem, vel causa effectum: imò, si ritè loquendum sit, cum nullæ res naturales habeant natiuam per se virtutem, vt cognitæ ipsæ nullo alio addito alte-

alteram manifestent, dicēdum est, quod, & si verè dantur signa naturalia formalia, & vt qu o, tamen nullum datur signum naturale instrumentale, & vt quod.

96. Etenim, si quæ res naturaliter significant, vel hoc est ideo, quia habeant natura sua esse primum principium obiectiuum, & medius terminus, vt ducant in cognitionem alterius, & hoc malè dicitur, tum quia ratio signi vt sic non inuoluit rationem discursus, vt manifestum est, tum quia non minus ignis esset signum fumi, quod nemo dicit, quàm fumus ignis, & sic de cæteris naturaliter connexis, cum æque possit ex altero per prius noto hic & nunc veniri in cognitionem alterius. Vel ideo res naturaliter significant, quia cognitæ habeant vim producendi speciem alterius, vel habeant ipsæ, vt cognitæ, esse species alterius, & hoc item dici non potest, quia nulla res creata, vel certè non illæ omnes, quæ sunt signum, habent huiusmodi vires.

97. Vt multò minus quæcumque res creatæ sunt signum naturale, quia se ipsis natura sua, & ex intrinsecis suis principijs hebeant vim, vt, hoc ipso quòd cognoscuntur, ducant in cognitionem alterius: nam, si quis nunquam viderit ignem, imò si nesciat connexionem naturalem eius cum fumo, nunquam viso fumo

fumo veniet in cognitionem ignis, vt visis delphinibus nunquam veniet in cognitionem tempestatis, nec sentito pulsu in cognitionem febris, si nunquam antea ignẽ tempestatem, aut febrim viderit, & pręterea connexionem earum cum fumo delphinibus, & pulsu.

98. Quod etiam eò vlterius probatur, quia tota ratio signi, visque realis, & physica significandi in eo tandem consistit, quòd, hoc ipso quòd cognoscimus res, quæ sunt signum, excitentur species impressæ in memoria alterius rei, neque enim alium modum signi proprium ducendi in cognitionem alterius poterimus inuenire. tunc autem in tantum habet res aliqua cognita vim hanc, in quantum species eius est in memoria connexa cum specie rei cognoscendæ, quam connexionem, vt certum est posse contingere ex deputatione obseruatione, ac consuetudine vnum ex altero cognoscendi, ita certum est, omne signum instrumentale esse vel ad placitum, vel ex obseruatione, & consuetudine.

99. Quod si his non obstantibus placet, tum fumum, pulsum, aliaque huiusmodi appellare signa naturalia, quia esto non habeant virtutem naturalem significandi, tamen habent cum re significata naturalem connexionem, duo sunt ab-

surda; primum quòd æquè ignis erit ergo signum fumi, & valetudo signum pulsus, & tempestates signa signorum suorum: alterum; quod esset dicere esse quidem signa naturalia, sed materialiter tantùm, non verò naturalia formalitèr, & in ratione signi. Quis autem appellet horologium corpus naturale, seu naturale horologium, proptereà quòd res, quibus constat, naturales sint?

100. Neque contra ista dici potest, ignem, pulsum, tempestates ideo non esse signa naturalia signorum suorũ, quia proprium signi est, vt sit quid notius: etenim hic & nunc notior est valetudo, ignis, & tempestas secuta, quam fumus, vel pulsus, vel signum tempestatis: Non item contra est, quod signum debeat habere rationem effectus, & posterioris, vnde demonstratio a posteriori dicatur demonstratio a signo, multa enim signa tempestatis nec sunt posteriora, nec effectus tempestatis: Non item obest, quod aliqua sint incerta & fallibilia; hoc enim probat tantùm dari diuersa signa, fallibilia scilicet, & infallibilia: cuiusmodi etiam est pulsus respectu febrium.

101. Ne verò nos turbent gemitus naturales tum hominum, tum brutorum, & quòd plures belluæ ex rebus sensatis dicantur percipere alias non sensatas; ergo, cum

cum non discurrant, gemitus, aliaque huiusmodi naturaliter in belluis significare: Namque gemitus, & huiusmodi effectus sunt quidem res, effectusque naturales, ex qu bus via discursiua, & obseruatione, atque inde per consuetudinem venimus in cognitionem internarum passionum; sed non contingit hoc tanquam ex signo. Belluæ autem tum ad dicta, tum ad alia obiecta mouentur hoc, aut illo pacto, non quia percipiant ex sensatis non sensata; sed quia secundùm hanc, vel illam æstimatiuam cognoscunt ipsa sensata, tanquam bona, & proportionata sibi, vel vice versa, vnde aufugiunt, vel prosequuntur; vt vberius ex de Anima sensitiua erit cognoscere.

102. Quare signum, vt inter homines, dicit tum rem sensibilem, tum institutionem, vel obseruationem, & consuetudinem, quibus res sensibilis cognita deputatur, & ordinatur, atque adeo connectitur cum re significata connexione secundùm ordinem cognoscendi, vnde consurgit illa connexio speciei impressæ signi cum specie impressa significati, in qua connexione tota vis significatiua consistit: proindeque dicitur benè ratio signi formalis esse ipsa institutio, obseruatio, vel consuetudo, aut ordo, quo res sensibilis percepta sensu excitat cognitio-

nem alterius ſenſibilis, vel inſenſibilis.

103. Deo nullum poteſt ſtatui ſignũ, quia immediatè nouit omnia, vnde licet intelligat nos loquentes, tamen non intelligit, quaſi voces, & conceptus noſtri ſint ipſi ſigna rerum: ſed quatenus ſcit immediatè, & res, & verba, & ſigna, & proportiones, habitudineſque eorum adinuicem. Poſſunt tamen ſtatui ſigna ſpiritualia inter homines, & Angelos; & homini ipſi pro ſe ipſo vt hic, vel ille impetus animi ſit ſignum huius, vel alterius rei faciendæ: vnde ratio ſigni vniuerſaliſſimè ſic dicti non requirit rationem ſenſibilis, ſed ſufficit, quòd immediatè ſit proponibile potentiæ cognoſcitiuæ, & inde excitatiuum alterius.

104. Eſto ſignum ad placitum per ſe non ſignificet rem perfectius audienti, quam a loquente cognoſcatur, imo nec imperfectius, nec ſecundùm eamdem menſuram; tamen benè dici poteſt, quòd hìc & nunc ſignificet perfectius, vel imperfectius per accidens, pro vt excitat meliores, vel imperfectiores ſpecies prę-exiſtentes in audiente; eſto, quod ait Molina, loquens ferè cogitet rem concipi ab audientibus, pro vt planè ipſemet illam cognoſcit; ſed & dici poteſt, & quidem melius ſignum huiuſmodi per ſe ſignificare eodem modo his, aut illis audien-

dientibus, cum de se eodem modo excitet in audientibus præexistentes species.

105. Neque verum est, quòd termini logici primò significent conceptus, inde res, aut vice versa; sed absolutè secundùm quòd sunt signa ad placitum, significant res, ad quas significandas instituta sunt: conceptus vero significant ex obseruatione, vel consuetudine, cum ex naturali connexione terminorum cum nostris conceptibus verè habeamus etiam in cognitionem ipsorum conceptuū venire, ad quos proinde vt conceptus, non vt res, consignificandos, frustra erat instituere terminos, cum satis ex naturali connexione, & obseruatione, absque institutione vlla significentur.

106. Sæpe vis significatiua, seu, quod in idem recidit, suppositio terminorum varia est, vnde magnæ consurgunt æquiuocandi occasiones: aliquando .n. idem terminus supponet ampliatiuè, aliquando restrictiuè, hic collectiuè, hic distributiuè, absolutè, personaliter, & si quæ alia huiusmodi, pro vt vel nominum penuria, vel rerum significandarum affinitas, & vicinia in plura abire vetuit, aut inopportunum existimauit.

107. Secunda operatio intellectus, quę iudicium, & compositio, ac diuisio dicitur, &, si verbo exprimatur, dicitur

Enunciatio, & axioma, si per se nota sit, vt propositio maior, vel minor, pro vt dicit ordinem, vel collocationem in syllogismo pro conclusione inferenda, est cognitio non merè exprimens more apprehensionis obiectum, sed ita illud profundius, attentiusque cognoscens, comparansque alias cum alijs rationes, vel res, vt sic se habere illas, vt exprimit, cognoscat, atque definiat, & quasi de terminis apprehensis sententiam ferat.

108. Quæ est ratio, cur magis propriè, & per se primò huic operationi contingat esse vera, vel falsa, vnde Enunciatio huic operationi respondens ritè desinitur esse oratio verum, vel falsum significans. nam sicuti ipsa essentia prima iudicij intellectualis consistit in operatione expressiua definitiuè erga obiectum, quod sic est, vel quòd non, quæ sunt differentiæ, quasi specificæ iudiciorum, vel definiat verò, vel falsò, quæ sunt ipsorum proprietates, ita essentia Enunciationis consistit in significare ista, & benè definitur per proprietates notiores, & logicas, quæ sunt significare verum, vel falsum.

109. Porro Enunciatio, & per consequens secunda operatio intellectus proportionaliter rectè diuiditur: primò in simplicem, seu absolutam, & categoricam,

ricam, & in compositam, eamque vel absolutam, & categoricam vel modalem, & hypotheticam, secundò diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam, veram, vel falsam, tertiò in vniuersalem, & singularem, particularem, indefinitam, quartò in necessariam, impossibilem, & contingentem, quintò in directam, indirectam, identicam, & formalem, de secundo, & tertio adiacente.

110. Diuiditur sextò Enunciatio, pro vt variè adinuicem comparantur ipsæ enunciationes, tum in æquipollentes, & non æquipollentes, conuersas, & conuertentes, quarum vsus in syllogismis opportunus est; tum in contrarias, subcontrarias, subalternas contradictorias. Illud obseruandum est de propositionibus contradictorijs, quòd cum omnis contradictio, vel cognitionum, vel propositionum verbalium in tantùm sit contradictio, in quantùm sunt contradictoria obiecta earum, vt manifestum est, per hoc enim quod homines verè sunt rationales, nec est aliquis homo, qui non sit rationalis, verè contradictoriæ sunt istæ propositiones: Omnes homines sunt rationales, aliquis homo non est rationalis; per consequens benè diuiduntur enunciationes contradictoriæ in contradicto-

rias absolutè, hoc est secundùm res; & verba, & in contradictorias secundùm quid, nempe secundùm verba tantùm.

111. Enunciationes contradictoriæ absolutè sunt illæ, quarum obiecta secundùm rem opponuntur, vt alterum sit, alterum non, ita vt ly Non tollat totum id, quod ponit ly Sit, vt Petrus est, Petrus non est; aliquis homo currit, nullus homo currit, quæ se mutuo irremediabiliter, & metaphysicè tollunt, habentque omnes proprietates contradictoriarum, vt vna sit necessariò vera, altera falsa: enunciationes contradictoriæ secundùm quid sunt illæ, quæ in significando quidem, & exprimendo significant obiecta per modum essentis, & non essentis, sed verè a parte rei neutrùm eorum est, & per consequens non est in ipsis obiectis contradictio, nec alterum ab altero tollitur, cum neutrum sit: huiusmodi sunt hæ propositiones: Omnis Chimera est impossibilis, aliqua chimera non est impossibilis, quarum obiecta formalia, & vt verba sonant repræsentata, verè a parte rei non opponuntur, cum a parte rei nihil prorsus de se vtraque sint.

112. Vel enim hæc obiecta sunt a parte rei, secundùm quòd dicunt Chi-

me-

meram, aut impossibilitatem, & hoc non; cum sint tantùm obiectiuè in intellectu: vel sunt a parte rei, secundùm quod dicunt negationem essendi, vel impossibilitatis, & hoc item dici non potest, cum nulla negatio, vt dicemus in Metaphysicis, habeat veram rationem essendi: vel tandem habent vllam essendi rationem secundùm quod dicunt ipsam vnitatem incompossibilium, & hoc neque dici potest, cum eiusmodi vnitas sit maximum ens rationis.

113. Hoc tamen non tollit, quo minus eiusmodi propositiones contradictoriæ secundùm quid possint etiam dici contradictoriæ absolutè, vbi explicetur altera non in ordine ad obiecta ficta, sed in ordine ad realia, vt hæc: impossibilis est hircoceruus, si explicetur ita vt sensus sit, repugnat quod hircus, & ceruus sint vnum realiter ens, hęc enim erit verè a parte rei contradictoriè opposita alteri hircoceruus est possibilis, seu non repugnat hircum, & ceruum esse vnum, & idem ens, qui de facto debet esse sensus huiusmodi propositionum, in cuius inquisitionem varijs nos ambagibus, & erroribus desudamus.

114. De futuro contingenti altera contradictoria est determinatè vera, altera falsa: Neque hoc tollit libertatem

contingentiæ; sed tantùm dicit infallibilitatem futuri a Deo præuisi, vel præordinati, salua tamen tum ipsius, tum creaturæ libertate. Neque Aristot. contra haec sentit illud tantùm volens; quod, vt est necesse alteram contingentium propositionem esse veram, alteram falsam; non tamen necesse sit diuidentem hanc quidem esse veram, illam falsam; propterea quòd non possint esse scientificæ, aut logicæ huiusmodi propositiones singillatim, & determinatè: cum nec sint per se notæ, nec ex per se notis necessariò deducibiles, & certè longè aliud est dicere, quòd propositiones de futuro contingenti non sint altera determinatè necessariò vera: & hoc Arist. dixit, & verum est; aliud est dicere, quòd altera sit determinatè vera, & hoc verum est, nec Arist. negauit.

115. Porro veritas cognitionis benè dicitur esse positiua conformitas eius in repræsentando cum obiecto in essendo a parte rei: neque enim requiritur, quod aut sit propria similitudo inter cognitionem, & obiectum; cum plerumque sint diuersissimæ speciei, neque sufficit, quod obiectum sit conforme cognitioni, secundùm quod repræsentatur; tunc enim omnis cognitio prorsus esset vera: Neque sufficit, quod cognitio sit conformis suo obie-

obiecto negatiuè, quatenus nulli obiecto sit difformis, sicut non sufficit ad esse hominem, quod quis sit rationalis negatiuè.

116. Duplex est veritas cognitionis; adæquata, qualis est comprehensiuæ cognitionis, inadæquata, qualis est præcisiuæ cognitionis, quæ hoc ipso benè dicitur non esse cognitio falsa, quia non est difformis, nec affingit obiecto quidpiam, quod non habeat, aut tollit, quod habeat: quæ est ratio, cur præscindentium non sit mendacium: inadęquata rursum est duplex, scilicet simplex, qualis est veritas sensuum, aut primæ apprehensionis, & composita, seu iudicatiua, qualis est secundæ, vel tertiæ operationis intellectus.

117. Veritas simplex est mera conformitas cognitionis, & quasi mortua, qua nempe, licet talis sit in repræsentando, quale obiectum est in essendo, tamen adhuc ipsum obiectum nescitur: vel hæc sit tenuitas, aut remissio cognoscendi, quæ oriatur ex debili aduertentia potentiæ, aut ex improportionata obiecti propositione, aut a certa ipsius animæ tenui virtute. Veritas verò composita, & iudicatiua absolutè sic dicta est tam viuax, fixaque cognitionis conformitas, vt exercitè sciat, seu censeat

se verum dicere, & rem sic se habere, secundùm quod cognoscit: diciturque composita, quia esto formaliter ipsa cognitio sit intransitiuè, ac realiter incomposita, tamen obiectiuè in nobis formaliter composita est constans subiecto, copula, & prædicato, vel certè semper distinguibilis est in subiectum, copulam, & prædicatum distinctione ratiocinata, vel saltem ratiocinante.

118. Hæc autem conformitas cognitionis relatio prædicamentalis est, qualis, quæ mensuræ, & mensurati; proindequè nec stat in solo obiecto, nec in sola cognitione; sed dicit vtriusque formam alteram alteri correspondentem. Cum quo tamen stat benè dici veritatem cognitionis in sola cognitione, & certa eius quasi forma, expressioneque repræsentante consistere, quatenus ipsa veritas cognitionis, quantùm spectat ad ipsam, perfectio eiusdem solius est, & dicit eam esse talis formæ in repræsentando, secundùm quam habeat vel actu, vel potentia conformari ad obiectum, pro vt ipsum actu, vel potentia tantùm existat.

119. Veritati cognitionis opposita est falsitas, quæ in apprehensione simplici reperiri non potest, sed bene reperitur tum in apprehensione complexa, tum

in

in iudicio discursiuo, vel non discursiuo. Est autem duplex falsitas, alia quæ positiuam dicit difformitatem ab obiecto, quæ scilicet repræsentat obiectum verum; sed aliter ac est, vt quæ repræsentat Petrum currere, dum tamen stat; alia quę repræsentat obiectum a parte rei non habens, nec potens habere vllum verum esse, qualis est cognitio repræsentans chimæram esse possibilem, hæc enim est planè cognitio falsa; sed non habet positiuam relationem difformitatis, sed tantum negatiuè difformis est, quatenus non habet obiectum, cui conformetur, esto nec habeat propriè, cui difformetur, cum in essendo a parte rei chimæra nulla forma sit.

120. Eadem autem numero cognitio, vel primæ, vel secundæ, vel tertiæ operationis intellectus non potest transire de vera in falsam, aut vice versa, vel enim est ad obiectum necessarium, & manifesta res est, vel est ad obiectum contingens, & huiusmodi, si sit apprehensio incomplexa, vtique semper est vera. Si autem est complexa, vel abstrahit abhic & nunc, & in eo casu semper est vera, cum Petrus currens vt sic, & non vt hic & nunc, sit obiectum verum, esto non existat actu hic & nunc, sicut neq; existere repræsentatur: si verò

apprehenſio ſit complexa non abſtrahens ab hic & nunc, illud de ea dicendum eſt, quod de Enunciatione, & diſcurſu.

121. Scilicet iſta non poſſe tranſire de vero in falſum, nec vice verſa, tum quia veritas, vel falſitas non eſt ratio adueniens, & recedens cognitioni, ſed proprietas neceſſariò fluens ab eſſentia, tum quia cognitio verè repræſentans, Petrum currere nunc, hora ſcilicet vigeſima quarta, qua currit, vera eſt etiamſi altera, vel altera inde hora non currat, cum ea cognitio æternùm repræſentet tantùm currentem vigeſima quarta hora, ad alias verò horas non ſe extendat: cognitio autem vera eſt, vel falſa tantùm in ordine ad obiectum, quod repræſentat, non verò in ordine ad aliud.

122. Admittere autem propoſitionẽ, quod Petrus currat, aliaſue huiuſmodi contingentes, non connexam alicui tempori eſt admittere impoſſibile; non enim poteſt fieri propoſitio, quæ non ſit per ſe primò certa, vel probabilis, vel deducta ex his, aut credita. Si dicatur eſſe per ſe primò certa: cum non poſſit ſic eſſe, niſi duce ſenſu, qui videat hic & nunc, vel cui appareat hic & nunc, Petrum currere, per conſequens non poteſt cognoſcere niſi, Petrum currere hic &

nunc:

nunc: currere enim ampliatiuè Petrum, & in omni tempore, quo ponatur, falsum manifestè est: nec potest vnquam, aut verè cognosci, aut vllo pacto affirmari: Similiter nec potest eiusmodi propositio propter eandem rationem deduci: minus credi fide diuina, imò nec fide humana neque enim potest credi, quod tam manifestè falsum est; & si credatur, fiet quidem propositio falsa, sed quæ nunquam possit esse vera: quod si propositio erit abstrahens ab omni tẽpore, non quasi currat omni tempore, quo ponatur, sed quasi nullo repugnet currere, erit absolutè semper vera, etiam si hic, & nunc Petrus non currat.

123. Tertia operatio intellectus est aggregatum plurium, saltem duorum iudiciorum, quorum alterum pendet, seu fit ex altero: sicut syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, &c. vnde cognitio intuitiua, & comprehensiua nihil de obiecto ratione diuidens, nec abstrahens, ac formaliter vnum ex alio cognoscens est discursiua tantùm eminenter, non formaliter. Et licet in conclusione formaliter, vt conclusio est, videatur esse magna vis discursus, vt est terminus vltimus progressionis intellectualis, tamen absolutè ipsa non est tota quidditas syllogismi.

124.

124. Neque verò hæc propositio : Petrus est homo, quia est rationalis, est formaliter syllogismus, esto sit virtualiter, & eminenter, non enim quæcumque cognitio plurium formalitatum aliarum ab alijs pendentium est syllogismus formalis, esto sit obiectiuus: cum syllogismus formalis non consistat in cognoscere vnum, quasi ex alio obiectiuè; sed in cognoscere vnum ex alio progressione reali cognoscendi, quæ tamen non tollit, quod possit fieri syllogismus in istanti : cum hæc non sit progressio localis, sed virtutis, quam fieri posse in instanti, manifestum est.

125. Conclusio non attingit nec vt quò, nec vt quòd obiectum præmissarum : neque enim medius terminus ingreditur conclusionem: nec ad eam inferendam requiritur cognitio signata de bonitate illationis (quæ est ipsa exercita dependentia conclusionis a præmissis.) Illud verum est, quod, quo instanti elicio conclusionem, habeo in mente etiam præmissas, vel in eodem instanti, vel antecedenter elicitas, sed perseuerantes; quod fortasse voluerunt, qui dixerunt attingi a conclusione obiectum præmissarum, scilicet attingi a concludente, quod verissimum est, cum intelligens in tantum habeat vim concludendi, in

quan-

quantum habet præ oculis præmiſſas obiectiuas, hoc eſt connexionem medij termini cum extremis.

126. In quo autem conſiſtat iſta vis præmiſſarum erga concluſionem, arcanum ſatis videtur; non enim propriè habet rationem cauſæ, vel concauſæ phyſicæ erga ipſam; ſed potius mirabilis conditionis, ſine qua non. Cenſemus enim totum negotium præmiſſarum conſiſtere in perficiendo intellectum ita, vt reddant illum actuoſiorem, & illuminatiorem, atque adeo abſolutè proportionatum ad eliciendam, ſeu iudicandam concluſionem, ad quam ſine illis proportionatus antecedenter non erat: ſicut enim oculus immediatè eſt proportionatus ad videndum lumen, mediante verò lumine ad videndos colores, ſic intellectus immediatè quidem eſt proportionatus ad iudicanda axiomata; at ad alias propoſitiones per axiomata proportionandus eſt.

127. Hinc eſt quòd intellectus poſitis præmiſſis neceſſitatur vel abſolutè, vel ſecundum quid, pro vt ſunt euidentes, aut probabiles ad concluſionem inferendam neceſſitate, quo ad ſpeciem, non enim iudicare poteſt concluſionem, niſi ſecundùm quod illuminatus eſt a præmiſſis: non tamen neceſſitatur quo ad

exe-

exercitium; potest enim suspendi, & maximè, vbi erui possunt variæ conclusiones ex ijsdem principijs: hinc etiam est quod conclusio sequatur debiliorem partem in ratione cognoscendi, non essendi, pro vt enim debilior, vel fortior est principiorum illuminatio eò etiam debilius, vel fortius sequi iudicium, necesse est.

128. Diuiditur Syllogismus ratione formæ in plures syllogizandi modos, vt tradit Arist., etiam non repugnat, quod alij quoque inueniantur, quibus rite concludatur. Quarta figura tamen Galeni benè reijcitur, cum non differat a tribus iam inuentis. Subijcit enim & ipsa medium terminum in minori, & prædicat in maiori: Cum illa sit maior, in qua est maius extremum conclusionis, & illa sit minor, in qua sit minus extremum: quod non est aliud, quàm ipsum subiectum conclusionis naturalis, & directæ.

129. Ratione autem materiæ, circa quam, diuiditur Syllogismus in probabilem, & demonstratiuum. Syllogismus probabilis est vel ex præmissis probabilibus, vel ex euidentibus quidem; sed probabiliter tantum connexis cum conclusione, quem non est nobis amplius diuidere, cum relictum Dialecticæ illum

per

per se scientiæ non vsurpent. Illud est commune tum syllogismo probabili, tum demonstratiuo, quod præcognoscenda sunt tria Subiectum, Prædicatum, & Medius terminus; & vt possunt haberi de his præcognitiones quinque: de quid nominis, An sit, Quid sit, Quale, vel quotuplex sit, & propter quid sit, ita semper necessariò requiruntur duæ: de quid nominis, si ad alterum sit syllogismus, & de an sit: præcognoscenda enim sunt ipsa præcognita in confusò esse illam naturam, quæ sunt, quod fit saltem propositione identica æquiualentè illi principio: quod est necesse est esse: qua propositione cognoscimus præcognitum secundùm esse, secundùm quod esse proponitur.


130. Syllogismus demonstratiuus, qui & demonstratio dicitur, est, quo ex principijs per se euidentibus elicitur euidenter conclusio: hic est Syllogismus scientialis non tam faciens scire, quàm scientia ipsa actualis, vnde tam multipliciter diuiditur, quàm multipliciter habet diuidi scientia discursiua. Porro præmissæ demonstrationis debent esse necessariæ, & veræ; & perfectissimæ demonstrationis propriæ, primæ, & immediatæ.

131. Praetereà debent præmissæ tum de-

demonstrationis, tum syllogismi probabilis esse notiores nobis conclusione; cum quo tamen stat, quòd etiamsi vitiosus sit regressus demonstratiuus, aut syllogisticus, vbi sit vniformis; tamen laudabilis est regressus diuersiformis; quo scilicet per multam negotiationem, & comparationem ad alia, melius exploratà conclusione, eadem vtimur ad melius cognoscendas ipsas præmissas, vel alteram illarum; vnde imò illud opportunissimè fiet, vt scientiæ sint eo magis fixæ, & æternæ, quo magis virtuoso hoc circulo, ac symbolo æternitatis redeunte in se ipsam, & nunquam finienda claritate fulgebunt.



PARS



PARS SECVNDA

OCCIDENS,

seu

DE PHYSICO AVDITV.



1. NATVRAM occidentem, semperque defectibilem corporis naturalis in communi statuimus in hac Microcosmi secunda parte, materia, ac lumine cæteris quidem minorem; scitu tamen dignam, & ordine doctrinæ non vltimam, cum præcedat tum alijs tractationibus physicis particularium corporis specierum, tum

ali-

aliquibus metaphysicis, ad quas non nisi per physica gradus faciendus est. Primò agemus de principijs tum in communi, tum in particulari corporis naturalis, natura, & causis eius, vltimò eiusdem proprietates expediemus.

CAPVT I.

De principijs corp: naturalis.

1. DEfinit benè Philosophus 5. met. cap. 1. Principium esse id, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur, & S. Th. p. p. q. 35. ar. p. Id, vnde aliquid est quocumque modo. Sed potest colligi definitio strictius non descendendo ad principiorum species: esse id, vnde aliquid est: totque esse differentias principiandi, quot modis potest vnum esse id, vnde aliquid fit. Verum tamen est, quòd principium viæ, vel diei, cæteraque secundùm merum ordinem quanti principia potius dicuntur initia, quam principia, cum nec in illis detur absolutè, & intrinsecè ratio primi, nec tam sint vnum ab alio, quàm vnum ordinatè post aliud.

3. Etenim duo requiruntur ad rationem principij, alterum est prioritas, alterum connexio, secundùm quas vnum

fit

fit ratio, cur aliud sit: non enim quæcumque connexio facit principium, vt in relatiuis videre est, nec importat principium sola prioritas; cum heri natus non fit principium eius, qui hodie nascitur.

4. Hæc tamen prioritas, & posterioritas attendenda est secundùm ipsum esse rerum, quæ sunt principia, vel a principio; nam secundùm correlationem principij, & principiati vtique simul sunt, non posteriora, aut priora. Licet verò aliqua principia dependentiam importent, aliqua non importent, aliqua intrinseca sint, aliqua extrinseca, & rursum mediata, immediata, instrumentalia, principalia, & secundum plures alias differentias; tamen ratio principij vt sic vniuoca est, saluata in dicta prioritate, & connexione: quæ neque semper important propriam relationem, Elementa enim, & partes compositi non referuntur ad compositum: neque verò prioritas omnis dicit necessariò relationem realem: vt patet in prioritate temporaria.

5. Iam verò loquendo in particulari de principijs corporis naturalis, & quidem secundùm esse (principia enim cognoscendi dedimus alio loco pti. part. num. 32. & seq., & num. 55. & sequ.) primùm veniunt vestiganda principia intrinseca, seu, quod idem est, elementa; his

his enim ignoratis ipsum certè corpus naturale sciri non potest: Definiuntur autem tum hæc, tum elementa cuiuscunque tandem compositi esse, quæ neque ex alijs, neque ex alterutris sed ex his omnia; in qua definitione particula ex vbiq; sumitur secundùm maximè genuinam, & propriam eius significationem, quatenus dicit habitudinem partis componentis, quo pacto omnis tollitur vocis eiusdem æquiuocatio in definitione prorsus vitanda: &, si breuior placeat definitio elementi, dici potest: esse quid incompositum componens cætera.

6. Porro elementa corporis naturalis iam antiquatis, quæ valde absurdæ fuerunt, opinionibus antiquorum, quibus innumera, vel infinita, & plus, minusue iusto erant principia, dicendum est ea esse tantum duo: materiam scilicet ac formam substantialem, quibus corpora naturalia, & mutabilia secundùm suum esse constant: esto secundùm quòd mutantur, seu mutatio eorum inuoluat tria principia secundùm dici.

7. Materiam primam dignitate posteriorem forma, existentia tamen priorem Aristoteles primus ex antiquorum inuolucris, obscurisque appellationum ambagibus eduxit in lucem; communeq; in corporibus docuit esse subiectum, dum

alij

alij præ magna illius imperfectione non ens, & fæcem & turpe appellabant; & , vt tradit Picolomineus, Lunæ specie significarunt Aegyptij, quia vt hæc non proprio, sed mutuato Solis lumine fulget, ita materia informis, ac rudis de se formę venustate perficitur.

8. Positis in natura mutationibus accidentalibus, quæ euidentes sunt, & inde nouis destructionibus, & productionibus substantialibus, quæ item sunt euidentes, cum fiant & destruantur prima; vnde accidentales essentiæ, ac motus sequuntur: cum rursum euidens sit per se, quod omne agens naturale productiuum, ac destructiuum alterius totius agit in subiectum a se distinctum, euidens item est dari materiam primam; quæ sit commune subiectum huiusmodi actionum, & motuum, ex qua producantur, quæ producuntur, & in quam abeant, quæ destruuntur.

9. Illud enim, in quod agens agit, recipit actionem, & dispositiones agentis in se destructiuas dispositiuè prioris totius, & productiuas noui. Iam verò vtique istæ dispositiones non destruunt totum vetus omnino, quia destruerent subiectum, & causam suam materialem, cui euidens est, quòd non opponuntur: nullus enim effectus opponitur causæ suæ

cuius

cuius virtute causatur, & quidem quatenus causatur, secundùm quandam vniuocationem, vel quasi vniuocationem virtutis: nec vllum accidens opponitur subiecto suo inhæsionis, vt vel ex logicis patet, cum adsit, & absit præter subiecti corruptionem: ergo eius, quod recipit actionem agentis, aliquid, & per consequens substantiale remanet, nec destruitur totum, quod præerat, & rursum componit cum eo, quod de nouo fit; & hoc est materia; & aliquid destruitur item substantiale, cum sit primum principium nouę combinationis accidentium differens a præcedente, & hoc est forma substantialis.

10. Confirmatur hoc idem, quia omnis subiecti præsentia, si nihil ex ipso remaneat, omnisque præuia alteratio, & dispositio eiusdẽ frustranea essent. Quorsum enim hæc? non vt merè destruant subiectum, tum quia nihil merè destructionem intendit; tum quia consequenter se ipsas destruerent; neque enim transire possent de subiecto in subiectum; primò, quia omnis forma substantialis vim habet producendi sibi suas qualitates; secundò, quia hoc posito sequeretur qualitates illas per instans aliquod remanere sine subiecto: dum enim primò fit forma substantialis (puta ignis,) calor, & sicci-

calor, & siccitas non potest subiectari v.g. in ligno, quod non est, neque in forma ignis, cum sint causæ instrumentales actiuè, & dispositiuè concurrentes ad productionem illius, alioquin sequeretur ipsas priores esse, & posteriores forma ignis producti; essent enim in eodem instanti, & causæ, & effectus illius.

11. Duplicem tradit Arist. materiæ primæ definitionem, alteram negatiuam, positiuã alteram. Prima habetur 7. met. c.8. vbi postquam dixisset materiam esse substantiam, subdit: dico autem materiam, quæ per se ipsam neque quid, neque quale, neque quantũ, neque aliquid aliud quidpiam eorum, quibus ens determinatur; sed est id, de quo singula horum prædicantur: quem definiendi modum, vt licet vsurpare (quod notat S. Dionysius) ad explicandam primi Actus perfectionem summam, ita non malè vsurpamus summam primæ potentiæ materialis imperfectionem explicaturi.

12. Altera definitio magis propria, & physica habetur primo physico his verbis: Dico autem materiam primam subiectum cuiuscumque, ex quo fit aliquid, cum insit per se, & non secundùm accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum; quæ definitio ex motu deducta materiæ naturam, ac proprie-

tates magis aperit: Ex hoc enim, quòd sit commune subiectum mutationis, patet ipsam non esse meram non repugnantiam, sed passiuam, substantialemque compositi partem, eiusdem rationis specificæ in sublunaribus, inter quæ omnia videtur dari vel immediata, vel mediata mutatio: patet secundo materiam hanc ingenerabilem esse, & incorruptibilem; cum enim naturaliter dari non possit annihilatio, assignari debet vltimum aliquod, in quod cætera post sui corruptionem abeant, quod vtique ingenerabile erit, & incorruptibile, ne detur aliquid posterius vltimò: tertiò patet materiam habere potentiam, seu esse potentiam ad omnes formas, quibus actuari potest, & perfici.

13. Hæc verò potentia materiæ non modò non est distincta realiter a materia ipsa, ne detur alia potentia ipsius receptiua, & sic deinceps; sed est primum, ac essentiale ipsius materiæ constitutiuum, vt formæ est essentiale esse actum: neq; enim est assignare aliam rationem differentialem in materia priorem hac.

14. Per hanc potentiam materia refertur transcendentaliter ad omnes formas tam substantiales quàm accidentales, licet ad illas primariò, ad has verò secundariò. Quamuis enim potentia

actiua

actiua diuersa sit in ordine ad effectus diuersos, non sic tamen diuersificatur passiua: Et ratio disparitatis est, quia quò plures sunt effectus perfectiores, & perfectiores, eò perfectior arguitur virtus actiua causæ potentis illos producere, cum eos saltem æque perfectè contineat; At vice versa potentia passiua non ideò perfectior est, quia perfectioribus perfici possit, cum per eandem capacitatem, seu potentiam omnes recipiat eo (quo ad aliquid) modo, quo idem annuli sinus a diuersis potest gemmis expleri.

15. Hæc perfectibilitas materiæ dicit appetitum naturalem, & innatum ad formas tam corruptas, quàm nondum habitas; licet enim impossibile sit, quo ad modum, illas restitui, quatenus scilicet hunc tenorem rerum statuit Deus, vt a priuatione ad habitum non detur naturalis regressio; tamen possibiles sunt, quo ad substantiam, cum & contineantur in vi intrinseca naturalis agentis, & tam ipsa distent a non esse, quam cæteræ nondum productæ.

16. Licet autem materia prima tam sit appetens formarum, nullam sibi tamen habet coęuam; est enim pura potentia, & nulla forma potest ipsi tribuere rationem tantùm genericam corporeitatis maximè inauferibilem. Sed ex hoc,

quod materia careat omni actu, seu forma physica, non sequitur ipsam carere quoque actu entitatiuo, seu existentia; cum, vt in metaphysicis probabimus, essentia nullo pacto distinguatur ab existentia: quin imò, etiam si distingueretur, non posset tamen materia capere existentiam a forma; cum ipsa, vt potè sustentatiua actu formæ existentis, sit etiam prior ipsa forma eidemque naturà saltem præexistens. Adde quòd per auctores huius opinionis existentia est terminus actionis positiuæ, cum per ipsos essentiæ sint æternæ, existentiæ temporariæ: Sed materia terminat actionem distinctam saltem, si non diuersam ab actione, quam terminat forma, cum hæc generetur, illa verò creetur; ergo per distinctam saltem, si non diuersam existentiam habent forma, & materia terminare actiones sui productiuas: ne dicamus actiones distinctas per se ad eundem terminum terminari: non ergo potest materia capere suam existentiam a forma.

17. Neque cum his pugnant, quæ passim congeruntur: ex duobus entibus in actu non posse fieri vnum per se, vnicam esse compositi essentiam, ergo & existentiam: materiam esse quid imperfectum, & indeterminatum, vnde ipsi

non

non competere perfectiſſimum actum existentiæ, tandem non repugnare, quod aliquid capiat existentiam ſuam ab alio, cum & humanitas Christi Domini existat existentia verbi, & accidentia Eucharistica existant per ſupernaturalem existentiam. Primum enim intelligendum eſt de entibus in actu completo, & non de ſubordinatis ad inuicem; Vnde ſi ex duabus incompletis eſſentijs materiæ, & formę vna poteſt fieri compoſiti eſſentia, quidni, & ex duabus incompletis existentijs vna componatur, & adæquata existentia, nec tantę perfectionis eſt actus existendi, vt cuilibet imperfectiſſimo enti conuenire non poſſit. Quod verò dicitur de existentia humanitatis in Christo Domino, falſum planè eſt eam formaliter eſſe existentiam Verbi; ſed ad ſummum in hoc tantùm ſenſu dici poſſe eam humanitatem existere per existentiam Verbi, quatenus peculiari quadam existit cum dependentia a virtute ſuſtentatiua, & terminatiua ipſius Verbi existentis per ſe: Vt etiam accidentia Eucharistica propria existunt ipſa quoque ſui ipſorum existentia; ſupernaturali tamen Dei concurſu ſupplente defectum cauſæ ſuſtentatiuæ, in genere tamen cauſæ efficientis.

18. Poſito quòd materia propriam

habeat existentiam videtur manifestè sequi, posse ergo per diuinam potentiam separari a formis, eo vel maximè, quod ipsa non dependet ab vllo physico influxu formarum, quæ tamen possunt supernaturaliter existere sine materia, a cuius causalitate dependent: & in eo casu sic separata nullum requireret Dei conseruantis influxum extraordinarium, cum nullius causæ in se influentis defectus supplendus esset.

19. Confirmantur ista ex eo, quòd duplex afferri potest in rebus dependentia, altera metaphysica, & essentialis, qua & omnes creaturæ pendent a Deo, & nullæ, vt in metaphysicis probabimus, pendent ab inuicem: Altera physica, & naturalis, quæ triplex est: a priori, qualis est effectus dependentis a causa, a posteriori, qualis est causæ ab effectu, & a concomitanti, qualis est veritatis cognoscitiuæ ab obiecto; Vt autem sola dependentia a priori propriè est dependentia verum importans influxum respectu rei, quæ dicitur dependere, duæ verò posteriores potius sunt connexiones quædam vnius rei cum altera nullum importantes influxum alterius in aliam, secundùm quam connexionem tamen exigunt naturaliter conseruari; sic cum materiæ dependentia sit non a priori, sed a posteriori,

riori, atque adeò impropriè dependeat à forma, ergo & sine illa potest existere, & sicut nullum existendo solitariè amisit concursum antiquum, sic nullum exiget extraordinarium, aut nouum.

20. Secundum rerum naturaliũ principium est forma ordine productionis posterior materia, sed perfectione longè præstantior, vndè & exemplar diuinæ imaginis, & forma, & pulcrum, & optimum, & actus, & ratio, & tota essentia nuncupatur. Multiplex autem est forma naturalis, substantialis, & accidentalis, intrinseca, & informans, extrinseca, & assistens; imò tot sunt formarum species, quot corporum; quemadmodùm enim differentia Logica diuidit, ac determinat genus logicum, sic forma, quæ est differentia physica, diuidit, & determinat quodammodò materiam primam, eamque constituit in determinata specie physica, dum cum ipsa constituit substantiale compositum, tamquam ipsius actus, & perfectio.

21. Et licet non minus materia communicetur formæ, quam forma materię; non tamen se ad inuicem æquè perficiũt; cum planum sit accidentia perficere substantiam, a qua tamen propriè non perficiuntur, & cæsariem perficere caput, seu ornare, a quo tamen ipsa nec ornatur,

nec perficitur; ad hoc enim, vt duo se ad inuicem perficiant, non satis est, si communicentur ad inuicem, sed præterea requiritur, vt sit inter ipsa ratio quædam, & proportio perfectibilis, & perfectiui, qualis est inter materiam, & formam, non autem vice versa, cum forma sit essentialiter actus, & perfectio, materia autem essentialiter potentia, & perfectibilis.

22. Dari formas substantiales euidens æquè est, ac dari materiam primam propter easdem rationes suprà allatas: posito enim vno correlatiuo potentiæ, aliud quoque correlatiuum eius, actus scilicet, ponendum est. Neque saluari potest determinatio materiæ ad hanc, illamue speciem, operationesque diuersas per diuersam combinationem accidentium: primò quia videmus hanc, aut illam corporum speciem si alteretur qualitatibus reparare sibi qualitates suas, expelleteque contrarias; quæ reparatio, & expulsio neque fieri potest a materia prima, quæ ad omnes est indifferens, neque ab ipsa combinatione qualitatum, seu accidentium; neque enim viuentia sunt, vt habeant vim augendi sui, si quid ipsorum destruatur; & verò quis eam hic, & nunc exigat combinationem accidentium, aut quomodo illa sic exigant combinari, cum

non

non minus materiæ accidant, quàm sint accidentia inter se; ergo dandum est aliquod primum antecedens ipsa accidentia, & hoc est ipsa forma substantialis quam dicimus. Deinde illud est de fide, quod Anima rationalis est forma substantialis corporis organici, ergo datur ratio formæ substantialis in homine; & non est, vnde negetur in cæteris corporibus, quæ saltem videmus esse ab inuicem transmutabilia.

23. Porrò formæ dupliciter se habent erga materiam, aliæ enim tantummodò recipiuntur, cuiusmodi sunt animæ rationales, quæ propterea creantur, non generantur ex ipsa, aliæ & recipiuntur, & sustentantur a materia, cuiusmodi sunt formæ omnes materiales, quæ fiunt ipsa materia influente, & sic dicuntur de potentia eiusdem educi, non quasi præexistant in illa, vel secundum se totas, (iam enim nihil de nouo fieret, & haberet materia infinitas actu formas,) vel secundùm aliquid sui: cum enim indiuisibiles sint vel totum, vel nihil ipsarum præexistit: sed eatenus dicuntur educi de potentia materiæ, quatenus producuntur ab agente versante circà materiam concurrentem materialiter ad productionem ipsarum, ita vt si ipsa non esset, nec agens huiusmodi (prout non exercet, aut non

habet, vim creandi) posset eas producere.

24. Quemadmodùm igitur formæ dicuntur contineri in virtute efficientis ex eo præcisè, quod in eo sit effectiua ipsarum virtus, pari ratione dicuntur in materia contineri, quatenus habent fieri dependenter ab ipsa, quo sensu verum etiam est formas materiales, & si fiant ex nihilo sui; cum antequam sint, nihil esse ipsarum intransitiuè actu existat; tamen non fieri ex nihilo subiecti, cum in potentia ipsius contineantur, seu esse quodammodo potentiale habeant.

25. Superest explicanda priuatio tertium principium rerum naturalium in fieri, quæ communiter dicitur carentia formæ in subiecto apto. Verum, cum nec priuationes, nec negationes, vt in metaphysicis tradimus, habeant vllum verum esse, ne diminutum quidem; sequitur priuationem realiter, & rigorosè acceptam, esse ipsam meram capacitatem materiæ solitariè sumptæ, cum quo tamen stat benè dici tria esse principia rerum naturalium in fieri, estò inter priuationem, & materiam non nisi distinctio rationis intercedat.

26. Mutatio enim omnis, qua fiunt, quæ naturaliter fiunt, adæquatè sumpta qu. dicit aliquo tandē modo instātia sibi in-

intrinseca: Primum, quo materia vltimò est merè capax formæ nondum genitæ, sicque refertur proximè quidem ad formam, sed tamen adhuc absentem: alterum, qua formam primò iam habet. Hæc ergo capacitas, seu potentia materiæ, quæ in secundo mutationis instanti realiter principium est subiectiuum, & materiale, in primo instanti, prout solitariè sumitur, rationem habet priuationis, ac principiat tanquam terminus a quo mutationem; atque de illa, prout stat sub tali conceptu, verificantur omnia quæ ritè de priuatione dicuntur, quod nimirum opponatur formæ; nec possit simul esse cum illa: vnde recedat, forma adueniente; impossibile enim est materiam habere simul meram capacitatem, & formam.

27. Neque verò his obest, quod, si priuatio nihil est aliud realiter, nisi dicta materiæ capacitas, aut potentia, ergo ne ratione quidem distinguuntur priuatio, & materia, quæ nempè nihil aliud est, quam potentia; dicendum enim est capacitatem materiæ, vt priuatio est, distingui ab ipsa potentia, & materia prima absolutè sic dicta, vt inclusum ab includente, seu vt partem a toto. Potentia enim, seu capacitas materiæ, vt priuatio est dicit meram potentiam ad formam absentem, & capacitatem habendi illam habitione

naturali, & componente; præscindendo ab eo, quod sustentet, concurrat, perficiatur, & si quæ alia huiusmodi; at verò materia ipsa, & potentia eius absolutè dicit quidquid reale materia est, nempè rationem substantiæ, primi subiecti sustentantis, causantis, concurrentis, componentis, & si quæ alia huiusmodi compleat realiter totam materiæ quidditatem.

28. Mutationem autem de se importare duo instantia; proindeq; priuationem principiare, quando vltimò est, non verò quando primò non est, ideo asserimus: primò, quia mutari de se, & intrinsecè dicit habere se duobus modis oppositis, donec enim me habeo vno tãtùm modo, certè nulla mihi verè mutatio contingit; secundò, quia priuatio ponitur in definitione mutationis, & non vt terminus connotatus, cum nulla detur ratio in forma primò producta, per quam referatur pro eo instanti ad priuationem, ipsamue connotet, & non pro sequentibus; tertiò, quia forma primò in subiecto posita eodem modo se habet, ac si non educta per mutationem, sed creata fuisset; sed si creata fuisset nullam diceret connotationem priuationis, ergo nec dicit connotationem, licet educta sit; & verò quid est eiusmodi connotatio formæ connotantis

pri-

priuationem ? non entitas modalis, nec realis, vt quid enim detur, & a quo fiat ? non formalitas, quæ enim in rebus necessitas, vt quæ nunc sunt connotent, quæ præcesserunt ? certè non est huiusmodi consuetudo in rebus.

29. Neque dici potest mutationem in hoc consistere, quod priuatio sit intrinseca conceptui ipsius mutationis, quatenus transitus quidam est inuoluens tria essentialiter, subiectum transiens, terminum ad quem, & terminum a quo, qui præfuerit; proindeque licet mutatio sit, quando primum est forma, tamen tunc etiam esse non quidem priuationem, sed fuisse priuationis; manet enim hoc manifestiùs, quod vnico instanti, quo primum est forma, nec mutor, nec me habeo duobus modis, & fuisse terminum a quo, illud probat, quod fuerit elementum, ac principium mutationis, quodque tunc composuerit ipsam mutationem, quando extitit; non verò quando iam transijt; Quod si communiter dicitur, & benè mutatio fieri in instanti, intelligendum hoc est de mutatione inadęquatè sumpta, & ratione formæ, quæ fiat non pars post partem, vt contingit in motu.

CAPVT II.

De Natura.

30. LIcet ordine doctrinæ tractatio Physica exordienda fuisset ab explicatione naturæ, quæ tanquam vniuersalissima ratio totum ipsius subiectum latè pervadit, ipsumque in se continet totius physicæ tractationis obiectum formale, quod est ipsa naturalitas corporis cognoscendi; tamen attento, quod inde docere incipiendum est, vnde quis discat facilius, vt habet Aristoteles 5 met., tex. 1. opportunè post principia explicata ad ipsam naturam exequendam venimus, vt hoc ipso, quod habemus perspecta subiecta, & causas, & elementa, inter quæ naturalitas omnis colligitur, eo facilius ipsam rationem naturæ cognoscamus, quo eam non prorsus abstractam, sed cum suis elementis quodammodò concretam iam possumus speculari.

31. Definitur ergo natura esse principium motus, & quietis in eo, in quo est primum per se, & non secundùm accidens; quæ definitio importat intrinsecam, & essentialem causam motus, & quietis simul simultate potentiæ, non actus:

Et

Et motus quidem cuiuscumque tam substantialis, quam accidentalis, vel alterius saltem ex his; quietis autem non merè dicentis priuationem motus, & negatiuæ, sed positiuæ, quæ dicit permanentiam, seu principium exigitiuum permanendi sub forma; per quæ excluduntur a ratione naturæ tum priuatio vt sic, quæ non dicit rationem causæ, tum causa efficiens extrinseca, quæ operatur in alio, tum accidentia, quæ, licet possint esse comprincipia intrinseca operanti, non tamen sunt prima, neque per se.

32. Dari naturam est adeò manifestũ, vt nullatenus probari possit a notiori, & per se primò. Non enim a priori, Deo scilicet auctore, vt palam est, cum Deus sit causa libera, vndè ex eo, quod sit, non est necessariò arguere vllam existentiam effectus ipsius (neque verò in rerum natura quid aliud datur ipsa natura prius) sed neq; probari potest a posteriori, cum nullus existat effectus natura notior: motus enim vt sic ineptus est ad huiusmodi probationem, cum includat violentum, & naturalem, motus autem naturalis cognosci nullatenus potest, nisi vel per prius, vel simul cognoscatur, quod sit natura, per quam ipsum distinguas a motibus, qui naturales non sunt: & motus violentus vt sic minus ostendit de natura.

33. Tàm

33. Tam materia, quam forma natura physica sunt; sunt enim intrinsecè principium, & causæ motus, & quietis per se; & materia quidem, licet de se sit indifferens ad omnes motus, vnde respectu illius nullus absolutè violentus est; determinatur tamen ad hanc, illamue vniformem motuum rationem a forma, a qua, vt pote parte potiore, motus omnis violentus, vel naturalis compositi denominatur; & hæc est ratio, cur forma dicatur a Philosopho magis natura, quàm materia; vnde motus erit naturalis mobili, ex eo quod sit principium vel actiuum, vel passiuum eius in se ipso; quæ duo principia in suo genere prima sunt, esto actiuũ per prius aliquo modo supponat passiuũ; sed ex vtrisque partialibus, & inadæquatis naturis existit natura adæquata, nempè compositum, quod, vt accipitur in concreto, non tam est natura, quam habens naturam.

34. Formæ elementorum natura sunt nihil obstante, quod dicitur ab Arist. elementa non moueri a se ipsis, sed a generante, vel remouente prohibens, per hoc enim nihil aliud intendit Philosophus, quam distinctionem viuentium a non viuentibus; illa sc. & si proprio in loco sita, vim habent mouẽdi se ipsa, hęc verò, cuiusmodi sunt elementa, si in suo naturali

rali loco constituantur, non à se ipsis, sed a sola causa extrinseca violenter moueri possunt; vt, si sint extrà proprium locum, mouentur, vel quia remouetur prohibens, vel quodammodo, quia sic extrà propriũ locum genita sunt. Anima rationalis vt talis, imò & intelligentiæ ipsæ natura sũt, mouentur enim huiusmodi ab intrinseco motu locali, & alterationis per nouas saltem intellectiones, & volitiones.

35. Cęlum etiam naturam esse dicendum est, cum localiter moueatur, vt ex motu syderum manifestò cognosci potest, idque licet non moueatur a forma intrinseca, quæ sit ipsius anima, vt sine sufficienti indicio plurimis antiquis visum est; sed à forma extrinseca, & assistente, quæ cælestium orbium motus regulari temperamento ducit. Et ratio, cur cęli natura sint, ea est, quia, esto nec sint principium actiuum, nec passiuum exigens sui motus (quo enim se se ipsi sine moueant, aut moueri petant?) tamen sunt principium passiuum indifferens, quo admisso ritè saluatur, quod & quiescent naturaliter post diem iudicij, vt fert melior Doctorum, & Patrum opinio, & non mouentur nunc violenter, vt videtur magis ex re philosophica dici oportere.

36. Ars naturæ æmulatrix, & ibi incipiens, vbi natura desinit, res ita naturales

rales ingreditur, vt tamen numquam, secundùm quod est ars, ipsa sit principium effectiuum motus, aut quietis: merus enim habitus directiuus est, & contenta operationes immediatè dirigere, atque per ipsas operibus etiam inducere rectitudinem non efficiendo, sed dirigendo ita est ratio; cur existant opera, vel operationes artis, vt tamen formas ipsa non faciat, quæ secundùm ipsum esse reale, quod habent, illud habent à causa naturali: neque enim distinguitur forma artis a forma naturali, nisi secundùm extrinsecam relationem, & ordinem ipsius artis regulantis, & in opera, operationesque tendentis.

37. Illud tamen verum est, quod applicante arte physica actiua passiuis, benè cont ngit fieri multa entia hic & nunc naturalia substantialiter, artifitialia secundùm denominationem principij, a quo sunt, tum qualia certus, & ordinatus ordo naturæ non habet efficere, vt non habent naturaliter coniungi physicæ virtutes ad operandum quosdam succos peregrinos diligentibus, & accuratis distillationibus plurimorum ingredientium fabricatos: tum etiam qualia possunt, & solent fieri cursu ordinario a virtutibus, & causis naturalibus, cuiusmodi sunt apes, aliaque insecta, aurum, aut

alia

alia eiusmodi metalla, aut lapides.

38. Cum enim, vt notat S. Aug. 3. de Trinit. cap. 9., & 10. varia sit in rebus actiuitas, variaque semina naturalium effectuum; nihil mirum, si ex varia, arbitrariaque artificis combinatione causarum, varij etiam habeant prodire effectus. Cum quo stat non posse tamen naturalibus humani ingenij viribus institui simpliciter sic dicta ars, qua verum, & secundùm substantiam naturale aurum, aliaue huiusmodi res naturalis fiant; nisi si quæ sit adeo facilis factibilitatis, & perspectæ cognoscibilitatis, vt etiam spectato imperfecto nostro modo cognoscendi species infimas corporum, tamen sciri possit, quod sit id quod ab arte quæritur, & a cæteris contradistingui.

CAPVT III.

De Causis.

39. ILlud est commune omnibus verè causis, quod sint ratio immediata, cur sit ens aliud defectibile, quod non esset, si ipsæ non essent; est hæc bona definitio causæ in communi, & per ly, immediata, ac esse defectibile, quod non esset differt a ratione principij, quod nec requirit in eo, cuius

cujus est principium, esse defectibile, nec quod immediatè det esse, neq; quod ita det, vt si ipsum non esset, neque principium esset; namque principium exigens est ratio, cur aliquid sit, sed nec immediata, nec ita vt non esset principiatum, si ipsum non esset.

40. Multa sunt genera causarum, efficiens, finalis, materialis, formalis, principalis, instrumentalis, prima, secunda, idealis, quibus vniuocè ratio causæ non conuenit. Nobilissima omnium causarum est efficiens, quæ scilicet nec vllam de se imperfectionem inuoluit, & sola per se continet effectum suum vel formaliter, vel eminenter, hoc est, vel æquè, vel melius; & rectè definitur esse principium primum vnde aliud; hoc est, prima ratio immediata, vnde sit aliud; quod si definiatur efficiens non in omni sua vniuersalitate, sed quale in creatis agnoscimus, optima est definitio Arist. quod sit principium primum vnde motus; primum scilicet respectu aliarum causarum, non quidem tempore causandi, nec influxu in cæteras causas, vt causent; sed primum excellentia causandi, eo quod continet effectum, primùmque determinet materiam, ac intendens, eligensue finem, quasi cæteras vocet, & ducat causas in actum.

41. Prima omnium causa efficiens est Deus, tum præ vniuersalitate causandi, cum nullus effectus sit in rerum natura, nec esse possit, quem ipse non causet solus, aut cum creatura immediatè concurrens; tum præ excellentia causandi, cum solus ipse sapientia, & summa libertate, & independentiā, summaque omnipotentia absolutè sit primus, & solus auctor rerum omnium factibilium, quo fit, vt sit Deus prima Causa etiam respectu eorum effectuum, quos efficit simul cum creaturis suis; adeo vt, etiam si sic attemperante Deo suum concursum illæ maiore actiuitate hic & nunc concurrerent, tamen adhuc haberent rationem causæ secundæ, & dependentes essent.

42. Imò dato etiam, & non concesso, quod possent vel naturaliter, vel per eleuationem causæ secundæ creare aliquem effectum, & producere nullo concurrente subiecto; hoc tamen non tollit, quo minus eiusdem effectus esset melior, & immediata causa Deus, quippe qui solus esset, vt solus esse potest primus inuentor, primusque auctor omnium factibilium, & proinde staret adhuc vera Sanctorum Patrum, & scripturarū sentētia, quod solus Deus sit creator, & auctor, nec possit eiusmodi sapiētissima, & prima ratio creādi, aut efficiendi vllis creaturis cōmunicari.

43. Li-

43. Licet autem aliqua naturaliter petant fieri dependenter a subiecto; aliqua, cuiusmodi sunt substantiæ simplices, & materia prima, petant produci ex non subiecto, tamen quæcumque esse possunt, ea possunt etiam produci ex nihilo, & per diuinam potentiam creari. Conseruationem productarum rerum plurimum soli Deo debemus, vt enim aliquæ naturales causæ, puta luminosa, & productiua specierum sensibilium, vel intelligibilium, & si quæ alia huiusmodi nata sunt conseruare effectus suos; tamen maxima pars, vbi per momentum aliquod quasi primò produxit, fractis prope viribus ab opere cessat, succeditq; conseruans Deus non minori gradu causalitatis, quàm quo res est primò producta; neque enim stare posset ens defectibile, si vel non conseruaretur, vel conseruaretur minore causalitate, quàm qua primò genitum est.

44. Negare vim causatiuam causis secundis est gratuita, & absurda philosophari; qui enim virtuosè, vel vitiosè operatur, causat, & cum possibilis illa sit, videamusque constanti cursu posito vno poni & aliud, & nasci herbas ex terra, fructus ex arbore, habemus quàm maxima possimus naturaliter in hac re habere indicia. Ita tamen efficiunt causæ creatæ, vt requirant semper consortium

vnà

vnà concurrentis Dei, qui simul cum creatura sua det idem, ac totum esse effectui ita attemperato concursu, vt totum effectum faciat causa secunda, & totum Deus (alioquin aliquid eius fieret ignoranter) sed nec illa, nec Deus totaliter absolutè, quasi relicto loco ipsi creaturæ, vt possit illa quoque causare.

45. Et dependet quidem causa secunda a prima tum in esse, cum ab ipso fiat, vel conseruetur, tum in operari; non quasi expectet sibi, alioqui nihil potenti, imprimi determinatum aliquod, quo fiat potens, & trahatur ad effectus suos, ad quos ipsa secundùm naturam suam satis determinata non sit, vel non se possit cum Dei concursu determinare; sed quatenus nec potest non concurrente, & coefficiente Deo causare, & causat Deus longè excellentiore, & perfectiore modo, vt etiam priore, & perfectiore virtute.

46. Quo fit, vt etiam causæ necessariæ benè necessariò operentur, & operentur liberè causæ liberæ: vt enim illis præstat Deus concursum in actu etiam primo determinatum ad vnum, sic liberis præstat in actu primo concursum indifferentem, quo posito habet creatura libera operari pro libito tum quo ad exercitium, tum quo ad specificationem.

47. Sed tamen cum his adhuc benè stat illud valdè commune Deum esse causam vniuersalem, creaturas particulares: non solum quatenus omnis effectus a Deo est, a creaturis aliqui tantùm; sed etiam quatenus creatura determinat sibi speciem effectus, quam non determinat Deus; quod explicandum est in hoc sensu, non quasi a creatura sit species effectus, a Deo sint rationes vniuersaliores, hoc enim falsum est, cum eandem formalitatem effectus faciat Deus, quam facit creatura: sed quatenus respectu nostri non est afferre rationem, cur hic & nunc fiat hæc, vel illa species effectus ex parte Dei, cum ipse possit omnia, quam benè est afferre ex parte creaturæ, quæ hic & nunc aut per se est determinata, aut se determinat ad vnam speciem.

48. Vt vice versa de indiuiduatione effectuum philosophandum est, quam in tantùm benè dicimus non determinari a causis secundis, in quantùm non est in ipsis ratio, cur hic, & nunc producant hunc potius numero effectum, quàm illum; cum possint hoc ipso, quod possunt ad vnum, ad omnes eiusdem speciei effectus; Vnde per consequens reliquum est, vt a Deo determinari indiuiduationem dicamus, ne quidpiam casu fieri admittamus.

49. Da-

49. Datur potentia obedientialis in creaturis, vt enim notat S. Aug. 9. de Gen. ad lit. c. 17. super hunc motum, cursumque rerum naturalium potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quàm eorum seminales rationes habent: hæc potentia nihil aliud est, quàm ipsa virtus actiua causæ, vt dicit ordinem ad maiorem sibi debito concursum, & ad supparem cum tali concursu effectum: Et duplici ratione potest Deus eleuare potentiam obedientialem suæ creaturæ, vel extraordinario suo concursu cum ipsa concurrendo, vel imprimendo eidem virtutem, & comprincipium superius; Vt autem hinc non sequitur omnes, & singulas creaturas habere potentiam obedientialem ad omnia, ita nobis non est determinabile ad quosnam particulariter effectus potentiam obedientialem suam referant, cum proportio secundùm esse non sufficiat ad habere proportionem secundùm agere.

50. Potentia obedientialis hoc ipso nō est principalis; sed instrumentalis, cum non sit absolutè primum principium vnde motus, sed sit principium secundum, & subordinatum primo; in quo consistit ratio causæ instrumentalis distinctiua a ratione principalis causæ etiam partialis; licet enim tàm partialis, quam instrumé-

talis causa se habeat ad effectum partialiter; tamen causa partialis principalis se habet ad ipsum, tamquam a se primò intentum secundùm primum esse naturę suæ, at verò instrumentales per se primò non dicunt ordinem ad effectum suum; sed ad aliud, cuius vel sunt ens, vel expectant concursum sibi naturaliter non debitum, vel debitum in gratiam causæ principalis.

51. Præter plures causas partiales, & instrumentales concurrentes naturaliter ad eundem numero effectum, possunt quoque plures causæ totales in eodem genere supernaturaliter idem simul, eundemque effectum, quasi multipliciùs, reproducere: in quo non est maior difficultas, quàm quòd possit idem replicari pluribus in locis, aut pluribus adęquatis cognitionibus comprehendi. Idem etiam potest supernaturaliter producere se ipsum secundò; vnde non est de essentia causę, quod referatur ad effectum suum: sicut, etiam si cognitio alterius est essentialiter relatio ad obiectum, tamen cognitio sui, sibique identificata vtique non refertur.

52. Materia, & forma sunt causę compositi, non quatenus causant vnionem, vel aliam tertiam entitatem, quæ sit forma ipsa, aut ratio compositi (nam vt sic essent

essent potius causæ materiales, aut efficientes, quàm constitutiuæ) sed in tantùm sunt causæ compositi, in quantùm altera quidem vt potentia, altera vt actus, habent huiusmodi proportionem, vt ritè vniantur ad inuicem, & componendo constituant vnum per se subsistens principium certarum operationum.

53. Et quidem acceptæ materia, & forma antequam componant, & in actu primo, distinguuntur inadęquatè a composito, acceptæ autem in actu secundo, esto singillatim item inadæquatè distinguantur, tamen vnitim non distinguuntur vlla vera distinctione, neque enim compositum aliud est præter partes: Imò ne distinguuntur quidem ratione, & idem formalissimè sunt materia, & forma vnitæ, ac compositum ipsum ex materia, & forma; Proindeque hæ rationes causandi neque important relationem ad effectum suum; nec ad causandum compositum indigent alio realiter Dei concursu, quàm quo indigent ad essendum.

54. Vt composita artificialia satis sunt vnita se ipsis, hoc ipso quòd habeant proportionem sui generis, & opportunam præsentiam contiguitatis; sic partes compositi naturalis satis ritè componunt, & satis vnitæ sunt, hoc ipso quòd posita de-

bita proportione inter ipsas habeant esse intimè præsentes: quam præsentiam, ac vnionem tolli, & aduenire absque productione nouæ entitatis patebit ex dicendis infrà de actione, & loco: est enim hæc indifferentia quædam actiua, vel obiectiua, quam non est necesse tollere nouitate formarum.

55. Causa finalis rectè dicitur esse id, cuius gratia aliquid fit, & ritè distinguitur in finem cuius, & cui; quæ sunt potius duæ rationes integrantes causam finalem, quàm duæ causæ finales adęquatè distinctæ: esto enim aliquorum effectuum solus finis cui sit causa, tamen aliorum effectuum causa finalis est simul finis cui, & cuius; neque verò hic decedit a ratione finis, quia & ipsum sit propter finem cui, satis enim est, quod & non sit propter alium finem cuius, & ipso habito cesset actio.

56. Agunt agentia propter finem vel cognitum, & electum appetitu elicito, quo pacto agunt sola agentia intellectiua, vel intentum appetitu innato,& naturali, quo agunt cætera agentia extrinsecè ordinata ad finem ab eorum primo efficiente. Et loquendo de ijs, quæ intendunt finem appetitu elicito necessariò illum præcognoscunt, esto ipsa cognitio non sit causalitas finis, sed prærequisitum necessarium.

57. Cum & Deus verè agat propter finem, & intendat optimum finem, eum ſcilicet ſemper, propter quem creauit omnia, & redemit, nec tamen propriè moueatur a fine; ſic videtur potius dicendum, quod agentia propter finem ipſa velint finem, & ad ipſum ſe habeant, & tendant, quàm moueantur ab ipſo, vt videtur illis verbis ſignificari, vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum, & quod ibi animamus vbi amamus, tendente ſcilicet liberè in obiectum eo, qui liberè ipſum eligit, vt malè quis diceretur liberè trahi ab obiecto, in quo, vt obiectum eſt, non eſt libertas trahendi.

58. Cauſalitas finis eſt ſola bonitas vera, vel apparens: malum enim, vt malum, finalizare non poteſt, & nemo intendens malum operatur. Cum quo tamen ſtat miris quidem, ſed veris modis id, quod nimis multa experientia docet, amari multa mala, & odio haberi multa bona, non quidem vt talia, ſed præcognita tamen eſſe talia, imò & amari longè magis mala, quàm bona.

59. Idea non eſt cauſa, ſed complementum cauſæ efficientis præcognoſcentis effectum faciendum, & efficientis illum ſecundùm normam, & exemplar ſibi propoſitum: non enim ipſa cognitio,

neque ipsum obiectum faciendum propriè est idea, sed idea est aliquod obiectum mente conceptum, cuius ad similitudinem effectus formandus est; respici enim ideam in gratiam effectus, non autem respicere dicitur obiectum suum. Ratio, cur ipsa non sit causa, finis autem sit causa, ea est, quod finis est in vno genere primum mouens, seu prima ratio, idea autem non est primum, sed quid alterius.

60. Causæ totales secundæ sunt vel æquè perfectæ, vel perfectiores effectu, alioquin ex perfectione effectuum nō esset arguere perfectionem causarum creatarum, intellige efficientium: materialis enim causa, vel formalis non est perfectior effectu suo, nec æque perfecta, vt neque finalis hic & nunc: esto iustus, & absolutè vltimus finis rerum, qui est Deus, perfectissimus suprà omnes effectus sit. Cur autem causæ totales secundæ sint necessariò saltem æque perfectæ, ac effectus, non est facile explicare; illud enim (quia nemo dat, quod non habet) probat quidem omne aggregatum causarum concurrentium ad vnum effectum debere esse æque perfectum; in quo tamen aggregato est etiam Deus, vnde non probat omne aggregatum causarum secundarum, vel singulas causas totales.

secun-

secundas debere esse æque perfectas, cũ & si essent imperfectiores de se, tamen vt concurrentes cum Deo, si nihil aliud obstet, satis essent æquè perfectæ.

61. Quare dicendum est rationem horum esse, quia, esto Deus concurrat cum causis suis ad earum effectus; tamẽ, vt pro sua benignitate concurrit cum causis suis, quantum ipsæ exigunt, & intendunt, per consequens prima, & determinata ratio cur hic, aut ille maior, aut minor effectus sit, petenda est ex ipsa natura causæ sic intendentis, & determinatæ, & quasi determinantis concursum Dei ad effectum suum, iam verò non potest causa intendere, vel se determinare ad effectum meliorem se, cum omnis intentio, ac determinatio, & exigentia sit ipsa entitas causæ, nec maior per consequens quam ipsa sit.

62. Non possunt duæ causæ in eodem genere esse sibi inuicem causæ, primò, imò neque efficientes materiales, & formales, ita vt verè dent esse ei simul a quo accipiunt. Casu, & fortuitò multa fieri palam est, si hominum prouidentiam spectemus; at nihil fortuitum, vel casuale est respectu prouidentiæ diuinæ. Imò fato omnia contingunt, si nomine fati accipimus, vt accipienda est, inhærentem rebus mobilibus dispositionem, per quã

diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus; Vnde monstra si spectemus vnam, aut alteram causam sunt effectus casuales, & fortuiti per excessum, vel defectum insigniter aberrantes ab eius intentione, sed si omnem aduertamus causarum complexum ordinati effectus sunt, & per se intenti.

CAPVT IV.

De natura Actionis.

63. ANtequam dicamus, quid sit actio placet asserre prius, quid illa non sit, & primò quòd (sicuti alio loco probabimus admittendum non esse eiusmodi genus entis, quod dicitur modalis entitas) ita etiamsi modi admitterentur, attamen actio entitas modalis esse non potest: si enim actio distinguitur tum ab efficiente, tum ab effectu, & de nouo est, hoc ipso quod de nouo fit effectus, vt ante ipsum non erat, & ipso destructo non erit; ergo & ipsa ab alio existit de nouo, cum æterna non sit (quicquid deinde sit an propriè fiat an non; vt vt enim negari possit ipsam propriè fieri, certè negari non potest ipsam verè existere, & esse entitatem aliquam nunc primò v. g., alio-

alioquin, qui hoc negent, iam negant illud ipsum, quod dicunt.

64. Quod si verè actio est entitas modalis non æterna, sed existens de nouo, vt multa passim de nouo fiunt, cum nec item a se ipsa de nouo fit, & emergat in esse, ergo verè ab alio est, seù virtute alterius de nouo, si non efficientis, certè dantis esse eiusmodi entitati modali; quod dans esse necessariò vel est ipsum agens, vel effectus: nihil enim aliud in proposito afferri potest. Effectus autem, qui est posterior actione, & ab actione, seù vi actionis, vtique actioni dare esse non poterit, ergo reliquum est, quòd ipsum agens ipsi suæ actioni det esse.

65. Quod enim hic responderi solet entitatem modalem propriè non fieri, quia cum ipsa sit essentialiter actio, hoc est ratio cur aliud fiat, ipsa fieri ab alio non debet; cum forma non constituatur in esse formæ per aliam formam, nec albedo in esse albedinis per aliam albedinem, est intolerabilis æquiuocatio: esto enim formæ non possint constitui formaliter in esse eiusmodi formæ per aliam formam, benè tamen possunt, ac debent constitui efficienter in esse talis formæ ab alia forma, vel agente, quod planum est in omni prorsus entitate existente de nouo, quod se ipsa formaliter

quidem sit, at non se ipsa sit efficienter; ergo etiam actio, & si non potest constitui ab alio formaliter in esse actionis; bene tamen debet in esse actionis ab alio constitui efficienter: ita vt non sit ab alio se ipsa; sed virtute alterius actu dantis esse.

66. Iam verò, si agens dat esse actioni suæ: vel dat esse per aliam actionem nouam (antiqua enim non est vsui) vel non per aliam actionem, si per aliam actionem, abitur in infinitum; si non per aliam, ergo potest aliqua entitas de nouo esse ab agente antecedenter indifferente, absque eo quòd detur modus distinctus ab eo, quod de nouo est: ac proindè satis intelligitur aliquod ens dare esse, cum ante non daret, tum sine mutatione sui (sine qua de nouo est ratio, cur aliud, nempe hæc entitas modalis, actu existat, cum antecedenter non esset huiusmodi ratio cur) tum satis intelligitur dare esse hoc ipso quod intelligatur ens immediatè ab ipso aliquo tandem modo existere.

67. Imò, cum quicquid ab alio verè existit, puta a sole, sit ab actione eius, nempè solis, seù certè ideò sit de nouo, quia tunc de nouo sol v.g. est ratio actualis, cur sit: Illud per consequens manifestè dicendum est, & entitatem modalem actionis si sit a sole de nouo esse ab

aliæ actione Solis, & eam actionem solis non esse a sole ipso distinctam. Præterea actio per modalistas idem est, ac dependentia effectus, seù ipsum fieri effectus: iam verò (& sermo sit de actione efficientis Dei, hinc enim erit bonum gradum facere ad alia) dependentia effectus, vel fieri, vel conseruari eiusdem est identificata, & inauferribilis ipsi effectui, qui intransitiuè spectatus dicit semper actualem defectibilitatem pro sequenti tempore, & propterea, quo tempore est, essentialem item intransitiuè dependentiam, quam si intransitiuè non dicit, ergo iam effectus non est intransitiuè, & essentialiter a Deo dependens: quod videtur manifestum absurdum; & si concedatur effectum intransitiuè dependere a Deo, ergo cum dependentia effectus, & actio idem sint, iam actio non est entitas modalis a suo effectu distincta.

68. Neque verò potest saluari ratio effectus, vel creaturæ per hoc, quod dicat essentialem dependentiam; solum tamen aptitudinalem a Deo, vel solam dependentiam vt quod, non verò vt quo. Cum inintelligibile sit, quòd aliquod creatum existat actu, & solum aptitudine a Deo dependeat, vel quod dependeat tantum vt quod per aliam rationem vt quo a se distinctam: quod enim hoc

modo dependet, essentialiter, & intransitiuè non dependet, vt paries qui est albus per albedinem a se distinctam, non est albus essentialiter, sed ex accidente. Neque res creata potest constitui in esse dependentis per hoc, quod dicat ordinem essentialem ad huiusmodi modum dependentiæ, sine quo, vel consimili absolutè esse non posset, neque enim paries est albus per ordinem ad albedinem: & in metaphysicis probabimus posse Deum quamlibet entitatem conseruare sine quacunque alia a se verè distincta: vnde non datur huiusmodi ordo essentialis requirens actualem existentiam alterius rei creatæ.

69. His adde quod Deus, vel agat se solo, vel cum suis creaturis concurrat, non solum est primum actiuum, sed etiã est primum agens, & actu secundo (vtiq; non nisi ipsa actione) præscribens, mensurans, ac limitans ipsum esse effectui, quem producit: idque signatè, & arbitrariè attemperando per intellectum, & decretum; exercitè attemperando ipso actu agendi, seu actione excessum omnipotentiæ suæ, ita vt hoc, aut illud tantum esse, pro vt intendit, fiat, & non amplius: sed nulla res a Deo distincta potest esse prima actu ratio agendi, nec prima actu secundo mensura effectus, ergo

ergo non poteſt vlla entitas diſtincta a Deo, & per conſequens creata eſſe ipſa actio Dei: Maior huius argumenti eſt certa, niſi enim actu ſecundo Deus faciat, determinet, ac menſuret effectum, vtique nullus erit factus, determinatus, ac menſuratus: Minor etiam patet, ſcilicet nullam rem a Deo diſtinctam poſſe eſſe actualem primam menſuram effectus; quod enim a Deo diſtinctum eſt, ipſum quoque menſuratum eſt, certoſque habet limites eſſendi, ergo alia menſura menſuratum eſt: quod tandem idem eſt, ac dicere primam rationem actu agendi, nempe actionem Dei non poſſe eſſe a Deo diſtinctam: eſſet enim & ipſa ab alia priore iam acta.

70. Et malè hic recurritur ad illud vt quo, & vt quod; Deus enim debet eſſe non ſolum prima ratio agendi, primaque menſura vt quod; ſed etiam prima vt quo: non enim poteſt eſſe primum agens, & menſurans vt quod, niſi per primam rationem agendi, & menſuram vt quo: ſed prima actio, & menſura vt quo non poteſt eſſe res vlla diſtincta a Deo, cum omne ens a Deo diſtinctum ſit abſolutè ſecundum ens,& menſuratum, ac factum aliqua per conſequens priore menſura, & actione; ergo a primo ad vltimum non poteſt a Deo diſtingui illa ipſa actio,

actio vt quò, qua Deus constituitur in esse agens.

71. Quæ certè videtur esse sententia S. Th. p. p. q. 45. art. 3. ad primum; vbi dicit creationem actiuè sumptam significare actionem diuinam, quæ est eius essentia cum relatione rationis ad creaturas; & prius q. 25. art. p. ad secundum dixerat actionem Dei non esse aliud ab eius potentia, sed vtrumque esse essentiam Diuinam. Imò est hoc valde conforme doctrinæ, quam certam habemus in processionibus diuinis, in quibus generatio actiua identificatur Patri, passiua Filio, vt Spiratio actiua identificatur Patri, & Filio, & passiua Spiritui Sancto: stare ergo & potest, quod actio actiuè sumpta soli identificetur agenti, vt passiuè sumpta soli effectui.

72. Neque tamen admittendum est actionem huiusmodi esse formalitatem aduenientem, vel recedentem ab agente, seù, vt aiunt, resultantem; tum quia importaret veram mutationem etiam in Deo; & gratis dicitur, quòd aliquid verè modò habeat intrinsecè aliquam rationem, modò non habeat, & tamen non se habeat aliter ac ante, seù non se habeat aliter, & aliter; atque sine fundamento ad mutationem requiritur plusquam hoc; & Patres, qui concedunt aliqua de nouo

verè

verè dici, vel negari de Deo sine eius mutatione, non tamen id aiunt, vt velint ipsi aduenire aliquid verè de nouo: tum quia huiusmodi formalitas accepta formaliter, vel est perfectio melior ipsa, quàm non ipsa, vel non: si est, ergo semper inest Deo formaliter; si non, ergo nunquam inest: tum tertiò, quia est inintelligibile aduenire, & recedere, & tamen identificari realiter, vel distingui tantùm formaliter, dicunt enim oppositionem realem: tum quartò, quia ratio agentis importat quidem, quòd aliud ab agente fit; non verò, quòd aliud sit in agente: ergo nihil aduenit agenti hoc ipso, quod de nouo agit. Sed faciunt præterea contra hanc sententiam tum quæ contra modos, tum quæ mox dicemus pro vera sententia, tum quæ infra in Metaphysicis de distinctione formali.

73. Cum ergo actio nihil aliud sit verè, ac realiter nisi ratio actualis ex parte agentis, cur effectus actu secundo sit, per consequens actio non distinguitur vlla vera distinctione nec ab agente, nec a virtute illius actiua. Non enim potest aliud, quàm ipsum agens ipsaque virtus eius actiua esse ratio actualis cur effectus actu secundo sit; nam si virtus actiua, & agens non essent ipsa ratio actualis, cur effectus actu esset, iam actu non agerent,

sed

sed tantum agere possent, imò iam neq; agere possent: illud enim agere non potest, si effectus, (hoc ipso quod fit) necessariò erit ipso nihil agente; neque dicatur agens, & virtutem actiuam agere actu vt quod per actionem ipsam, quia cum & hæc sit ab agente, iam antecedenter est agens erga ipsam, & sine ipsa.

74. Illud verum est, quòd vulgari quodam conceptu nomine actionis intelligitur motio quædam virtutis, quæ ab agente quodammodò deriuetur in effectum, vt concipiuntur influxus stellarum è cęlo descendere, iuxta quem sensum videntur dicta illa: Sentio virtutem de me exisse; sed certè non ita res agitur, in tantùm enim aliquid ab alio de nouo fieri, & esse dicimus, quo ad rem præsentem, in quantùm ita existit de nouo, vt non existeret, si illud hic, & nunc non esset, vt contra non fieri, vel causari, in quantùm ita existit, vt existeret etiam, si illud aliud non esset.

75. Quod autem attinet ad dependentiam effectus, non est illa similiter egressio quædam, & parturitio eius a causa; sed est ita esse, vt non esset, si causa ipsius non esset: & duplex est dependentia, altera contingens, & extrinseca, altera necessaria, & essentialis.

De-

Dependentia necessaria, & essentialis est, qua pendent creaturæ a Deo secundùm peculiarem modum, quo habent effici ab ipso, & quo non habent esse ab vllo alio: & hæc constituit effectus in esse creaturæ inauferribiliter: Dependentia verò contingens est denominatio extrinseca ab actione agentis secundùm quam effectus ideò est, quia causa est ad ipsum, vt sit. Vt enim omnis effectus habet aptitudinalem dependētiam essentialem respectu cuiusque causæ, a qua possit vel partialiter, vel totaliter fieri; sic dependentiam actualem contingentem non habet, nisi ab ea causa, a qua contingit, & secundùm quod contingit quòd actu sit: quam esse denominationem extrinsecam effectui, ex eo manifestum est, quod nihil contingens est intrinsecum, vel essentiale alicui.

76. Contra hanc doctrinam magnæ dicuntur esse obiectiones: præcipuæ autem sunt primò: quòd, si actio non distinguitur ab agente, ergo vt illi semper inest actio, sic semper agit. Sed respondetur primò per instantiam: agens vt habet rationem actu secundo dantis esse entitati modali, vel formali actionis, non distinguitur nec realiter, nec formaliter ab agente, vt modalistæ, & formalistæ debent dicere, ergo eiusmodi agens dat sem-

semper esse eiusmodi actioni, & proindè effectui, & sic semper agit. Respondetur secundò concedo antecedens, distinguo cons. Semper agit, hoc est se habet semper eodem modo, quo ad se, vel agat, vel non agat, concedo consequentiam, semper agit, hoc est, se habet semper eodem modo erga effectum, quoad ipsum, ita vt ille ab ipso sit, nego consequentiam: & ratio huius est ex parte causali, quià vel agens est natura sua completum, vel est incompletum; si est completum cuiusmodi est solus Deus, & liberum, hoc ipso se habet ad effectum pro libito, modò ità vt sit effectus, modò vt tantùm esse possit; non diuersitate se habendi ex parte agentis respectu eius, sed diuersitate se habendi eius respectu effectus: si verò agens est incompletum, vt omne agens creatum etiam liberum, se habet ad effectum, hoc vel illo modo, pro vt habet ad se tum præparatos necessarios concursus causæ primæ, & secundarum, tum decretum diuinum determinatiuum vel permissiuum.

77. Secunda obiectio celebris est, quòd omne indifferens, cuiusmodi est agens in actu primo, distinguitur a suo determinatiuo, hoc est ab actu secundo agere; alioquin transiretur de contradictorio in contradictorium sine vlla vera, &

reali

reali mutatione,quod videtur abſurdum. Huic reſpondetur primò per inſtantiam: agens antequam agat eſt indifferens ad eſſe ratio actualis, cur ab ipſo ſit, vel non ſit entitas modalis actionis; mox determinatur, ità vt iam de facto ab ipſo ſit eiuſmodi entitas, ergo etiam ſic per modaliſtas nō diſtinguetur indifferens a determinatiuo, & tranſitur a contradictorio in contradictorium ſine mutatione ea ſaltem, quæ intenditur, cum agens ſe ipſo intranſitiuè modò det eſſe actioni, modò non det.

78. Reſpondetur ſecundò triplicem ex Scoto eſſe potentiam, ſeù indifferentiam actiuam, paſſiuam, obiectiuam; indifferentiamq; paſſiuam diſtingui quidem a ſuo determinatiuo, at non diſtingui actiuam, vel obiectiuam: rurſum non poſſe tranſiri de contradictorio in contradictorium ſine mutatione vera, loquendo de tranſitu indifferentiæ paſſiuæ; at loquendo de tranſitu indifferentię actiuæ, vel obiectiuæ, ſatis benè tranſiſitur cum mutatione æquiualenti, & ſine mutatione propriè ſic dicta.

79. Porrò mutationem æquiualentē, quo ad præſens negotium eſſe illam, qua v. g. aliquid fit: vel fiat extra ſubiectum, vel in ſubiecto, vel de nouo, vel non de nouo: quotieſcunque enim hoc pacto

ali-

aliquid fiat, manifestum est benè haberi nouas, & contradictorias denominationes, si enim fit de nouo Angelus, vtique tum ille, tum alij denominantur de nouo similes, & vel pares, vel impares, & de nouo est causa, ac effectus, licet ille verè mutatus non sit: imò id contingit etiam, vbi quid conseruetur, cum enim conseruari sit continuatè produci, imò produci de nouo, non quidem vt dicit non præfuisse; sed vt dicit nunquam fuisse eo momento, quo nunc, & nunc, & inde conseruatur; benè ergo alia, & alia etiam hìc denominatio, & contradictorium habet consurgere, cum verè, quod sic conseruatur, æquiualenter saltem transeat de non esse ad esse, ità enim fit, ac si antecedenter non esset.

80. Ad casum autem, qui solet hic fieri de lumine, quod modo fit a sole, & Deo, modo a solo Deo, ergo aliam entitatem dandam hìc esse, qua hic fiat a solo Deo, hic a Deo, & sole: Conceditur casus, negatur consequentia; vt enim sine mutatione sui actiuum idem modò agit, modò non agit, & effectus conseruatur nunc, & post nunc sine mutatione sui formali, & sine noua entitate, imò sine propria mutatione, quæ sit durationis, aut temporis. (Demus enim nullum esse tempus) vt in de duratione p.3.nu.30.

&

& seq. dicemus; per consequens sine vlla item noua entitate idem effectus habebit esse modò ab hoc agente, quod prius non agebat, modò ab alio, quod post agat. Et si quæratur: vnde ergo venit, quòd nunc lumen sit a sole, & Deo, nunc a solo Deo, vel ab alio sole, respondetur: vel hic quæritur ratio formalis, vel ratio, vt ita dicam effectiua: Si primum, dico inde venire, quia modò hic sol se habet ad lumen, vt lumen ab ipso fit, modò ità vt non fit ab ipso; sicut oportet dicant modalistæ, quòd sol modò se habet, ità vt entitas modalis ab ipso sit, modò vt eadem ab ipso non sit.

81. Si verò quæritur secundum, dico indè venire loquendo de causis creatis, quia modo hic, aut ille sol completus est in ratione agentis habens ad se concurrentiam necessariarum causarum Dei v.g. & si quæ aliæ, & decretum Dei permissiuum, vel determinatiuum de hic & nunc, vt ponatur talis effectus ab hoc, aut illo: quòd decretum, & si verè non est ipsa actio creaturæ, tamen prærequiritur; & licet vnum, & realiter idem sit ab æterno, tamen habet eandem efficaciam hoc, aut illo particulari momento erga has, aut illas causas, quam haberet, si plura faceret, & de nouo Deus decreta, pro vt effectus de nouo fiunt, in quo nihil

nihil hic peculiare nobis, & alijs sententijs.

82. Porrò huiusmodi decreta habere distingui ratione ab inuicem pro varia connotatorum distinctione, vel causarum, vel effectuum, licet indistinctorum, vel durationis rei, quæ fit, & conseruatur diuersimodè ab alia, & alia causa alio, & alio tempore actuali, vel possibili, & conditionato, res manifestæ sunt; vide enim, quod hic effectus sit instanti C a causa B, & instanti D a causa F breuiùs, diutiùs, vtique distincta sunt, tum ratione maioris durationis, tum ratione conditionati, quòd modò vult hanc causam ità se habere, vt si non esset, neque esset effectus: modò ita se habere, vt si non esset, adhuc effectus esset ab alia causa.

83. At enim Deus hoc ipso quòd velit nunc lumen esse a Sole B, non a Sole A, vel vice versa, per hoc inquam nihil vult prætereà in vno nunc, quod non velit in alio: ergo non est distinguere vnum decretum ab alio; sed in hac re distinguendum est antecedens, nihil vult ex parte causarum, transeat antecedens, nihil vult ex parte effectus, negatur antecedens; cum velit esse nunc effectum, quo nunc antecedenter nolebat; vndè falsa est consequentia; & quod attinet ad causas satis est,

est, si velit in ipsis aliud æquiualenter, vt distinguuntur æquiualēter causantes actu a se ipsis, vt non actu causantibus: vt enim inuariatæ habent modò causare, modò non causare, benè volens ipsas modò causare, modò non causare potest velle non solum sine mutatione sui, sed etiam sine mutatione in obiecto, seu ipsarum.

84. Rursum (quod difficilius videtur) opponitur casus, quòd sint duo soles A, & B, & lumen nunc tantùm a sole B: iam sic: quomodò hoc decretum est diuersum ab eo, quo Deus voluisset, vt potuisset, hoc eodem instanti lumen esse a sole A; nihil enim prorsus est assignare diuersum in obiecto, vel connotato, vnde diuersificemus decretum; cum in vtroq; casu Deus tantùm voluisset absolutè has tres entitates, & nihil aliud præterea. Sed valet hic, quod habet Arist. non semel de propositionibus: eas sc. se habere, quemadmodum & res. Idem enim dici potest de volitionibus, & decretis: vt ergo verè inuariati soles possunt causare, & non causare, & inuariatum lumen causari potest modò ab hoc, modo, ab illo; sic Deus potest inuariatus ipse erga inuariata se habere volendo, quod lumen modò sit ab hoc; modò ab illo, vnde hæc causa modò se habeat ità,

vt

vt det esse lumini, modò ità vt non det; ex quo sequitur diuersum conditionale, in ordine etiam ad quod habemus decretum ipsum distinguere: modò enim sic se habet sol B; vt, si non esset, neque esset lumen, modò ita se habet, vt, etiam si non esset, tamen adhuc esset lumen.

85. Neque est dicere, ergo Deum non videre in casu dato, quando sol B producat lumen, nec quando non producat, cum nulla sit in solibus, nec in lumine, nec in effectu, nec in ipso decreto diuersitas. Respondetur enim primò dari posse, quod Deus non videat ista in causis secundis, nec in effectu propter allatam rationem; sed tamen adhuc negari posse sequelam: cum, vt dicebamus vnumquodque sit cognoscibile, secundùm quod est ens, saltem à perfectissimo, & comprehensiuo cognoscente; vndè cum causæ secundæ, licet inuariatæ habeant modò causare, modò non causare, benè ratio postulat, vt miris quidem; sed tamen veris modis sint etiam cognoscibiles, vel quando causant, vel quando non causant; neque enim maior difficultas est, quod eadem res inuariata vi sua intrinseca præstet varia, quàm quòd inuariata cognoscatur illa præstare.

86. Sed & dupliciter dici potest ista
videri

videri a Deo: primò videt huiusmodi in se ipso ratione vitalitatis decreti, & concursus sui: inintelligibile enim est, quòd decernat, concurrat, & longe alia, quàm quæ decreuit, decernere potuerit, & facere longe alia, quàm quæ fecit, quo casu idem adhuc omnimode Deus esset, & tamen non sciat rationes decretorum, & effectionum suarum in se ipso antecedenter ad creaturas ipsas visas, cum de facto rationes decretorum, & effectionum antecedant visibilitatem creaturarum. Videri enim, quod non sit necesse, (& arbitror esse doctrinam S. Aug. 10. de Trin. c. 7.) vt quis cognoscat operationes suas vitales animales, vel rationales cognoscitiuas, vel appetitiuas, se hic & nunc operari, audire, intelligere, velle; non inquam necesse sit, ad hoc vt ista cognoscat, quod ea habeat formaliter pro obiecto, ita vt cognitione exprimente has vitales operationes intelligat: hoc enim videtur contra experientiam, cum non solum docti; sed etiam admodum rudes, quando orant, & loquuntur, & audiunt, & seriò aliquid volunt, sciant se huiusmodi operari, & velle, idque certò & perspicuè sciant, licet tamen non habeant pro signato obiecto eiusmodi operationes.

87. Altero verò modo dici potest, quòd Deus videat illa in futuro conditio-

nali, quod scilicet, si sol B periret, periret etiam lumen, a quo proindè est, & si sol A periret, non tamen periret lumen: quæ vera sunt, non quasi istæ conditionales sint ipsa actio, qua fiat lumen; ens enim conditionale non potest esse ratio, cur sit absolutum; sed quia impossibile est, quòd sit lumen a sole B, non a sole A, & non sit verum hoc conditionale: quod si non esset sol B, neque esset lumen. Cum autem Deus videat omnia futura conditionalia, nihil mirum si videt etiam huiusmodi conditionalia, quæ in omni sententia, quantùm ad actionem pertinet admittenda sunt.

88. Nempe philosophandum hic est proportionaliter, quod attinet ad visionem Dei circa ista, quo modo philosophamur de futuris contingentibus absolutis, quæ videt Deus in se ipsis, & non in causis eorum liberis, in quibus hoc ipso, quòd liberè sunt, non est reperire quidquam, vndè futurus sit potius hic, & nunc hic effectus, quàm ille.

89. Quod autem huiusmodi futurum conditionale verum sit nunc, quod antea verum non erat, & nunc quasi de nouo nascatur; & vnde, cum nunc omnia absoluta in casu dato se habeant realiter, vt se habebant ante, mirum videri non debet, cum iam constet in omni sententia

posse

posse causam tum liberam, hoc ipso quod libera est, tum necessariam, quæ semper agit cum consortio extrinsecæ causæ liberæ, inuariatas modò date esse effectui, modò non date, ex quo necessariò sequitur, verum ergo fore hic & nunc, quòd peribit hæc, aut illa entitas, quæ est effectus, si pereat hæc aut illa entitas, quæ sit causa: nec desunt exempla in Theologicis, quibus ceteris inuariatis ex mero Dei beneplacito hic & nunc aliud, & aliud conditionale sequeretur.

90. Hæc porrò eodem proportionaliter modo statuenda sunt, vbi supernaturaliter duæ causæ totales causant eundem numero effectum; qui, esto non exigat, potest pendere a pluribus, & quasi multoties fieri eodem in loco, vt potest replicari, & fieri multoties in pluribus locis: ita enim quælibet singillatim causa totalis producit effectum suum, vt expleat quidem in suo genere factibilitatem eius, quo ad exigentiam, non quo ad capacitatem; atque ità facit, vt tamen possit, & altera idem reficere, vnde mensuretur effectus a mensura maiori se, non tamen semel, sed pluries.

91. In tali autem casu effectus & dependeret a pluribus dependentijs extrinsecis, & multiplici formaliter decreto Dei, & multiplici eiusdem formaliter

concursu fieret (licet dari posset casus, quo Deus vnico formaliter concursu concurreret cum pluribus causis totalibus ad aliquem effectum) quibus non obstat, quo minus posset Deus pro libito, aut destruere effectum non destructis causis, aut destruere illas, & quamlibet earum saluo effectu, aut saluis & his, & illo velle quod modò a paucioribus, modò a pluribus, modo a se solo effectus ipse produceretur.

92. Habent hoc agentia creata probabilissimè, quòd, & si agant in rem non præsentem immediatione suppositi, tamen necessariò requirant præsentiam non intimam, sed contiguam secundùm immediationem virtutis, & cum ex vna parte certum physicè sit (& constet rationibus metaphysicis secundùm propriã abstractionem) dari virtutes occultas in magnam agentes distantiam, ac proindè nulla experientia solidè probari possit, vllam causam de facto agere in distans, nihil qualitatum vel occultatum, vel noscibilium producendo per medium: ex alia parte abhorreat animus concedere virtutem creatam, ac per consequens finitam agentem, seù potentem agere in quamcunque distantiam, quod sequeretur etiam si libera esset, dicendum est probabilissimè neque dari posse absolutè

agens naturá sua actiuum in distans.

93. Et necesse est, quòd agentia creata in actionibus suis transeuntibus habeant certam actiuitatis suæ sphæram sic dictã, propterea quòd, cum certos ad vsque limites quaquauersum (non enim est maior ratio, quod potius in hanc, quàm in illam partẽ) habeant propagare ex ęquo respectu paris distantiæ virtutes, & qualitates, effectusque suos, quos propagant vniformiter difformiter intensos, secundum proportionem geometricam decremento semper minori, ac minori, vsque ad vltimum physicè minimum, quandam quasi rotundam circa se sphæram productæ qualitatis componunt: cuius ipsa agentia fiint quasi centrum.

94. Per hanc autem sphæram actiuitatis agit tum qualitas ipsa propagata per medium prior, & intensior in sequentem, & remotiorem, ac minus intensam; tum agit ipsum principale agens secundùm substantiam, & qualitates sibi inexistentes, quo tamen titulo, esto agat in distans distantia suppositi, non tamen agit absolutè in distans distantia etiam virtutis: quod autem sphæra agentium non sit infinita, etiam si absolutè intensio propagabilis qualitatis sit minorabilis in infinitum, ea est ratio, quod pars vltima sphæræ physicè assignabilis propter

tenuitatem suæ virtutis non habet vim sufficientem agendi in spatium sequens, propterea quod agens agit ex quadam superefflüentia virtutis; vndè videtur requirere certum excessum, quo deficiente non possit agere; id quod proportionaliter contingit, vbi dentur duæ lances perfectè in æquilibrio, quarum alteram non tamen quodlibet leuiusculum pondus premere vsque ad descensum potest.

95. Requiritur etiam distinctio realis inter causam, & effectum primò productum (secundò enim potest quis a se ipso produci) hoc tamen non tollit, quo minùs possit quis agere in se ipsum secundùm easdem partes, idemuè totum actione immanente perfectiua, & æquiuoca, & secundùm diuersas partes etiam actione vniuoca, & corruptiua, eàque directa: quod si sermo sit de actione reflexa, quæ prouenit tum ab ostaculo, tum ab agente principali, potest agens agere in se ipsum secundùm easdem partes actione vniuoca; non tamen corruptiua; vbi enim ipsum corrumpatur, certè nec mediatè, nec immediatè agit.

96. Ratio enim, propter quam reflexione sic agi contingat, est præ densitate idonea obstaculi, secundùm quam, vt etiam alias secundùm molem, habent

iuuari

iuuari agentia ad agendum: virtus enim maior, & densior ceteris paribus est etiã fortior, cum in applicatione ad idem æquiualeat intensiori: vndè simile, & imperfectiùs secundùm intensionem, dissimile autem secundùm densitatem, & molem potest agere in simile, & perfectiùs secundùm intensionem: neque timendum est, quòd, si sic se similia intendant, vel directè, vel reflexè, ergo se augeant in infinitum, vel enim præpeditur multis accidentijs huiusmodi progressus agendi, vel certè non vlterius habent intendi, quàm ferat capacitas passi, cuius est intensionem admittere.

97. Intercedit in agendo non rarò antiperistasis, & reactio, & resistentia: antiperistasis est intensio obsessi ex circũ obsistentia contrarij: frigus enim intenditur, eò quod circum obsistente calido transpirent a re frigida, si qui inerant, spiritus calidiores; vt calor intenditur circum obsistente frigido, eo quod tenuissimi spiritus calidiores in arctius cogantur. Resistentia autem est formaliter ipsa permanentia alicuius totius, qua obtinet quietem totalem, vel partialem, vel secundùm locum, vel secundùm qualitatem, vel secundùm substantiam subordinatam; vndè & si positum sit intra sphæram contrarij, tamen vel nihil, vel

minus respectu ad intentionem agentis patiatur.

98. Reactio autem est duorum contrariorum pugna, secundùm quam passum reagit, vt agens agendo repatitur; vt autem admitti debet frequentissimè contingere maximè in nutritione Animaliũ, qua viuens patitur a cibo ipso, quem excoquit, ità nec semper contingit: nec, quando contingit, sequitur quod idem moueatur motibus contrarijs; partem enim passam vniformiter difformiter non potest pars non passa, quippè quæ minimum differens, alterare; & similiter pars repassa propter eandem rationem, non potest a parte non repassa alterari.

99. Sic explicata actione veniendum est ad passionem correspondentem: hæc latiùs sumpto vocabulo est ipsum obiectum actionis, seù ipse effectus, qui fit, vt habet rationem actu secundo recipientis esse: strictiùs autem, & magis propriè est ipsa actualis receptio formæ in subiecto, seù ipse concursus, causalitasque actualis subiecti patientis, seù recipientis formam, quæ causalitas eodem modo habet distingui a virtute passiua, & subiecto, quo supra diximus distingui actionem ab actiuitate, & agente.

CA-

CAPVT V.

De quantitate, infinito, loco, & vacuo.

100. QVantitas analogum nomen, vt dicitur de ijs, quæ sunt perfectione, & virtute quanta, tum de quantis intensiuè, vel entitatiuè, vel secundùm molem, vel secundum tempus, vel secundum numerum, essentialiter est ratio diuisibilis essendi, secundùm quam, vel cognitione, vel re accipi possunt partes, ità vt singulæ minorem realiter entitatem, aut quidditatem dicant, quam totum: idque, vel sint huiusmodi partes natæ stare localiter aliæ extra alias, vel aliæ intra alias: vndè prima ratio quanti est esse diuisibile in ea, quæ insunt:

101. Quantitas molis est ratio habendi aptitudinaliter partes extra partes in ordine ad locum, nata inesse substantiæ habenti partes entitatiuas, & constituere illas localiter alias extra alias: licet verò, quæ sic quanta sunt, sint etiam impenetrabilia, & mensurabilia, cum hoc ipso quod partes petant esse aliæ extra alias, petant non penetrari, sed extendi, & per

consequens mensurari possint, tamen ista, proprietates sunt, non essentiæ quantitatis. Quod tamen attinet ad impenetrabilitatem, non est ita impenetrabilis quantitas, vt nequeat tum diuinitus, tum etiam naturaliter admitti aliqualis saltem partium penetratio.

102. Porrò partes componentes quantitatem non possunt esse indiuisibilia mathematica finita, vel infinita; cum addita ad inuicem non faciant maiorem molem: non item possunt esse indiuisibilia physica, vel ponantur physicè, & formaliter extensa; hoc enim ipso sunt absolutè physicè diuisibilia, vel ponantur non physicè, sed tantum virtualiter extensa, & hoc ipso non sunt materialia, sed spiritualia: non item componitur quantitas ex partibus actu distinctis, iam enim sequeretur componi ex indiuisibilibus mathematicis.

103. Sed componitur ex partibus potentia tantùm distinctis in infinitum diuisibilibus, neque verò repugnat aliquid esse vnum, & tamen diuisibile in plura: Proindè neque dantur indiuisibilia continuatiua inter partes continui, neque indiuisibilia terminatiua, vtpote quæ neque haberent locum, neque verum terminandi munus; esto admitti debeant indiuisibilia tum terminatiua, tum conti-

nuatiua secundùm rationem a quanto distincta, in ordine ad quæ est explicanda ratio contactus mathematici.

104. De maximo, vel minimo Physico illud sentiendum videtur nullam rerum inanimatarum, nullumque accidens intensibile habere natura sua terminum vllum magnitudinis, vel paruitatis, vltra quem, vel citra quem non possint salua consistere. Licet enim quælibet res habeant determinatam naturam, & essentiam; hoc tamen proprium est rerum diuisibilium, vt certam molem entitatis suæ per se ipsæ non exigant: viuentia verò irrationalia, esto non habeant terminum nec magnitudinis, nec paruitatis vt sint, & a potentia diuina conseruentur, tamen illum habent, vt naturaliter viuant; non enim ritè consisteret bos v. g., cuius pes tardus, aut oculus distaret ab altero duobus millionibus milliariorum.

105. Rursum verò viuentia rationalia determinant quidem sibi naturaliter terminum paruitatis, & magnitudinis, vt naturaliter viuant propter eandem rationem; absolutè tamen possunt esse quantumuis minima & conseruari a Deo: non possunt autem esse quantumuis maxima: maximè stante eo, quod videtur receptum apud Theologos Angelum quemlibet habere determinatum termi-

num suæ extensionis virtualis, & quo ad ista philosophandum esse de Anima, quod & de Angelis philosophamur.

106. Infinitum rectè dicitur illud, cuius secundùm quantitatem accipientibus semper accipere extra est, vel re, vel cognitione, vt vt sit infinitum formaliter vel virtualiter extensum, vel intensum, continuum, vel discretum. Duplex est: categorematicum, & syncategorematicum. Categorematicum creatum dari implicat, vel infinitum sit numerò, vel intensione, vel mole; quia inuoluit, quod idem sit finitum, & infinitum: Infinitum autem categorematicum virtutis dicendum est implicare, quia ipso admisso iam non est ratio sufficiens negandi, quod possit dari creatura, quæ Deum æquet in aliqua perfectione secundùm omnem latitudinem eius, quod nimis indecorum est Deo.

107. Non tamen implicat infinitum syncategorematicum in vllo genere extensionis, seù infinitatis, proptereà quòd nunquam est assignabilis certa perfectio rei creatæ, vel creabilis, nec certa moles, nec certus numerus, nec certa duratio, quibus maiora Deus creare non possit. Neque vero patitur huiusmodi infinitum eas difficultates, quæ sunt propriæ infiniti categorematici, cum absolutè infini-

finitum non sit, nec vllam dicat actualitatem intrinsecam essentiæ infinitæ.

108. Licet verum sit, eiusmodi infinitum esse actu possibile; tamen cum status possibilitatis nullam essendi actualitatem importet in rebus possibilibus, adhuc in statu possibilitatis acceptum propriè, ac verè non est totum actu, nec infinitum categorematicum. Neque verò per hoc constitui potest in ratione infiniti categorematici, quòd simul cognoscatur a Deo, vnde simul sit infinitus terminus, & infinitum obiectum: ea enim simultas se tenet ex parte cognitionis, non verò ex parte rei cognitæ: & Deus cognoscens omnia, pro vt sunt, certè cognoscendo non infinitat categorematicè illud, quod de se est infinitum syncategorematicum.

109. Quod autem contra immensitatem diuinam faciant ea argumenta, quibus nos arbitramur de medio tolli infinitum categorematicum creatum, falsum est, quia immensitas diuina, vtpote inextensa formaliter, non admittit nec distantiam, nec lineas formales, & veras, sed tantum virtuales æquiualituras cuicunque, quantumuis magnæ imaginabili: & pari modo infinitum syncategorematicum, cum secundùm quod ponitur semper finitum sit, secundùm quòd po-

test

test poni, in infinitum extendatur, effugit rationem comparationis, secundùm maius & minus, & si quæ alia huiusmodi.

110. Triplex est locus, Metaphysicus, Mathematicus, & Physicus. Metaphysicus conuenit omni creaturæ, hoc ipso quod est, & consistit, quod ambiatur immensitate diuina, & coexistat certæ designabili eius parti virtuali. Mathematicus conuenit per accidens, & est superficies corporis continentis immobilis; quod intellige præcisè; nam, quatenus locus est, non dicit mobilitatem, vt eam dicit vas propriè sic dictum, quatenus vas est ità continens, vt natum sit transferre locatum. Locus physicus est corpus ambiens natum conseruare locatum, seù conueniens secundùm naturam locati.

111. Non constituimur in loco per entitatem modalem, vel realem superadditam, vtcumque sit relatio ad hoc, aut illud corpus, vel punctum, aut sublunare aut terrestre, aut fixum, aut mobile. Et ratio est, tum quia corpus, etiam destructa (vt probabimus in metaphysicis posse destrui quamlibet entitatem, qualibet non destructa) huiusmodi entitate modali, vel reali adhuc ibidem esset, & coexisteret ijs, quibus coexistebat; tum

tùm quia impoſſibilis eſt entitas realis, vel modalis, quæ ſit eſſentialiter, & fixè relatiua huius, v. g., corporis, vel ſubſtantiæ creatæ, ad hanc vel illam, vt ſe continentem, ſeù præſentem ſibi.

112. Vel enim eſt relatiua ad hanc potius, vel illam, quàm ad aliam partem virtualem diuinæ immenſitatis, & hoc dici non poteſt: cum diuina immenſitas ſit intranſitiuè ſecundùm omnes ſui partes virtuales eiuſdem rationis, ac proindè non nata ſpecificare hic & nunc potius has, quàm illas vbicationes modales, quæ proindè non haberent ſtatuere rem vbicatam magis hic, quàm illic: vel eiuſmodi entitas vbicationis eſt eſſentialiter relatiuà ad hoc, vel illud corpus, in ratione continentis, aut præſentis, vel diſtantis, & neque hoc dici poteſt; tum quia nullum eſt, aut eſſe poteſt huiuſmodi fixum corpus, nec eſt maior ratio, cur ad vnum potius referatur, quàm ad aliud, nec cur magis ad diſtans, quàm ad præſens; tum quia vel exiſtente, vel non exiſtente eo corpore, & vel exiſtente vbi eſt, vel alibi adhuc vbicatum foret in eodem planè loco metaphyſicè, & immotum.

113. Sed, vt ratio eſſendi hic, vel ibi, eſt ratio prædicamentalis præſentiæ ad hanc, vel illam partem virtualem im-

mensitatis diuinæ creantem sibi creaturas suas præsentes actione non in distans, ita ratio essendi in loco non venit huic, aut illi cum mutatione reali : & diuersa, vt dicitur, vbicatio non importat diuersitatem entitatis realis : sed eatenus modò sum hic, modò ibi, pro vt hæc aut illa pars virtualis diuinæ omnipotentiæ, quæ immensa est, seù diuinæ immensitatis, quæ est omnipotens, me producit intimo suo influxu.

114. Est enim ratio essendi hic, vt relatio præsentiæ localis, sic ex genere relationum, quæ fundantur in actione, & passione : benè ergo est, quod sicut habeo conseruari, & fieri, & replicari, sine vlla vera mutatione reali, cum indifferentia obiectiua non importet eiusmodi mutationem, sic habeam esse hic, vel ibi, pro vt hac, aut illa diuinæ immensitatis parte virtuali conseruor sine mutatione reali.

115. Neque nos turbet, quasi videamur recidere in id, quod impugnabamus diuersificantes & nos diuinam immensitatem : etenim sunt istæ nostræ diuersitates extrinsecæ, pro vt a nobis conceptibiles sunt, secundùm aliam, & aliam rerum seriem, alijs, atque alijs coexistentes; vndè habemus benè cognoscere rationes formales inexistentes quidem se-

cun-

eundum esse, esto non existentes secundùm distinctionem.

116. Et hoc modo, quæcunque creata sunt, in loco sunt metaphysico tam essentialiter, & necessariò, quam essentiale est omni creaturæ, quod fiat, & conseruetur a Deo: quare malè censent aliqui, posse dari creaturam, vtcumque indiuisibilem, vel spiritualem, quæ absoluat ab omni loco, cum nulla possit absoluere, quod fiat ab omnipotentia diuina. In loco autem mathematico sunt tantum corporea, quæ habent verè superficie corporis ambiri, spiritualia enim propriè non ità corporibus ambiuntur, quin etiam habeant penetrari: At in loco physico sunt ea tantum, quibus hic, aut ibi melius est ad sui conseruationem, vel naturalem inclinationem.

117. Quod plura vel corporea, vel spiritualia possint esse in eodem loco, non est res dubitabilis, quod autem distincta supposita corporea possint supernaturaliter penetrari, item ex fide certum est, vt etiam & bona ratione philosophica dicendum est, idem vel corporeum, vel spirituale, vel accidens, vel substantiam simul esse posse in pluribus locis.

118. Vt enim potest Deus effectum conseruare, quod est ipsum reproducere secundùm tempus, ità benè potest etiam

eundem eodem tempore reproducere, & replicare secundùm locum : sicuti de facto Christus Dominus est tum in cælo, tum quampluribus in locis in Sanctissimo. Fit hæc replicatio non per meram productionem plurium vbicationum, quæ solæ non habent constituere nec in vno, & multò minus in pluribus locis, rem vllam, cum sint posteriores illa iam producta, & locata.

119. Sed fit per veram reproductionem eius rei, quæ statuitur in pluribus locis, quod est etiam conformius sensui Ecclesiæ, quo Sacerdotes in pluribus locis consecrantes dicuntur conficere Corpus Christi Domini, tum sententiæ, qua supra probabamus locatum constitui in loco per hoc, quod fiat, vel conseruetur ab hac, aut illâ diuinæ immensitatis parte virtuali, vndè sequitur constitui ergo in pluribus locis per hoc, quod a pluribus diuinæ immensitatis partibus reproducatur.

120. Quod autem habeant tum eadem, tum etiam diuersissima prædicata conuenire eidem pluribus in locis existenti, tum ratio ipsa replicationis, tum Christus Dominus valde alio modo existens in Sanctissimo, & in Cælo satis manifestè ostendunt: illud vniuersaliter dicendum videtur, quòd res replicata ne-

cessa-

cessariò habet in omnibus locis omnia prædicata sibi realiter identificata tum absoluta, tum relatiua absoluentia a loco: & potest carere omnibus prædicatis à se distinctis realiter, vel etiam identificatis connotatiuis huius, aut alterius loci particularis.

121. Vnde potest idem in vno loco esse albus, & calidus, & doctus, in alio niger, & frigidus & insipiens, in vno viuus, in altero mortuus, in vno sedere, in altero stare, in vno agere, in altero cessare ab actione. Illud tamen prætetea obseruandum est, quòd potest quidem res bilocata præstare supernaturaliter multa, & opposita, vt esse in vno loco summè calida, & in alio summè frigida, pro vt Deus velit in ipsa conseruare, hìc aut ibi hos, aut illos effectus, & cum ipsa concurrere ad has, aut illas actiones, vel passiones.

122. Non tamen potest neque supernaturaliter res bilocata in vno loco peccare, in altero ex opposito virtuosè operari, neq potest naturaliter plus operari in pluribus locis, quam naturaliter possit in vno: vndè, si in vno animal viuit, comedit, ludit; in altero, etiam si Anima sit vnita corpori, ab omnibus his actionibus cesset necesse est: & vbi sit vnum saxum in duplici loco pendens, in altero tan-

tantum connaturaliter descendet, vbi Deus determinabit suum concursum. Etenim res bilocata non ideò augetur secundùm actiuitatem suam, vndè possit plura in pluribus locis. Quod si durans potest plura pluribus temporibus, disparitas est, quia pluribus temporibus naturaliter existit, quo ad substantiam, & modum, at non sic existit naturaliter pluribus simul locis, sed existit naturaliter tantum in vno, ergo tantum in vno loco, quem determinet Deus, poterit res bilocata naturaliter operari, vt tantum in vno Deus connaturaliter dabit illi concursum.


123. Vacuum ritè definitur locus carens corpore: odit illud natura quàm maximè, vincibiliter tamen: posse enim dari casum, quo saltem ad breue tempus, paruumque spatium detur. Dato vacuo nullus motus localis ideo fieri poterit in instanti, & benè posset in ipso fieri tum motus progressiuus, tum grauium, & leuium; esto hic non fieret, si in rerum natura nihil, nisi vnicum esset graue, vel leue.

124. Magna videtur esse solicitudo rerum naturalium, vt opportunè accurrant ad explendum, & impediendum vacuum: Porrò hæc nec debet attribui Deo soli, quasi non potuerit ipse dare hanc

hanc virtutem creaturis suis, neque virtuti naturali ipsius corporis se mouentis, vt est pars huius vniuersi: non enim potest ignis, vt ignis calefacere, vt pars vniuersi frigefacere: nec canis, vt custos latrare, vt Pater hæredes instituere. Sed dicendum est, cum corpora accurrentia ad implendum vacuum ea tantum sint, quæ humida fluuidaque; habere ergo ista lentorem quendam, quo adhærescant inter se vel siccis, solidisque rebus; vndè alterum altera sequantur.

125. Extra mundum creatum vacuum immensum est accepta pro eius superficie ipsa conuexitate vltima vniuersi: & extra hunc modum actu verè est Deus totam suam immensitatem per immensa spatia imaginaria indiuisibiliter explicans futurus præsens finitis in infinitum mundis creabilibus, absque eo quòd nouiter se se ad ipsos implendos virtuali extensione diffunderet.





CAPVT VI.

De Motu.

126. Rectè definitur motus esse actus entis in potentia, prout in potentia, & clarius esse successiuus actus mobilis: ritè contradistinguitur a mutatione per hoc, quod forma mutationis sit tota simul, forma verò motus per partes priores, & posteriores. Diuiditur motus in lationem, alterationem, augmentationem, qui non solum differunt ratione obiecti, sed etiam productionis suæ per hoc, quod motus localis essentialiter fit successiuè pereunte parte priore, vbi succedit posterior; at augmentatio, vt abstrahit a motu locali, vel alteratio potest, vel naturaliter, vel supernaturaliter fieri etiam in instanti, & quando fit successiuè, fit quidem partibus post partes, sed non pereuntibus prioribus ad aduentum posteriorum.

127. Differt verò per hoc Motus a mutatione simpliciter sic dicta, quòd mutatio per se est inter terminos priuatiuos, at verò motus, hoc ipso quod est motus, seù mutatio successiua, necessariò est inter terminos positiuos, vt vicè versa quæ mutatio est inter terminos posi-

siti-

sitiuos, illa necessario fit successiuè: forma enim per se successiua est diuisibilis in partem priorem, & posteriorem, ergo in terminum a quo, & ad quem vtrumque positiuum.

128. Motus non est ipsa actio formaliter mouens, neque ipsum subiectum, quod mouetur, neque ipsa passio subiecti; sed est ipsa forma, terminusque, qui aquiritur, pro vt aquiritur, atque adeo secundùm quod dicit subiectum modò sub vno termino, modò sub alio. Vbi mouens est extrinsecum recipitur motus in mobili, vbi verò mouens agit immanenter, recipitur quidem in mouente, materialiter; sed in mobili formaliter, quatenus est mobile, & passiuum motus.

129. Tot ergo sunt specie, vel numero motus, quot sunt specie, vel numero formæ, aut subiecta earum; neque enim augmentatio, & decretio, intensio, & remissio constituunt plures, quàm duos motus specie diuersos, cum decretio, & remissio formaliter non sint motus, nec actio, sed destructio, & cessatio a motu; qua habet diuidi numero ipse motus, secundùm intercapedinem temporis realis, vel imaginarij, qua contingat inter motum, & motum quietari.

130. Dilato in alium locum motu aug-

augmentationis, & alterationis agendum hic de motu locali, qui primus, & nouissimus corporum motus est; & est transitus de loco ad locum subiecti coexistentis tum termino a quo, tum termino ad quem, tum spatio intermedio: non enim motus localis est, vbi aliquem Deus in vno loco positum, vel simul, vel post sublatum ab eo loco, replicet in alio distante.

131. Et hæc est ratio, cur nemo possit naturaliter moueri localiter, seù etiam mutare locum in instanti; non moueri localiter in instanti, quia non potest quis naturaliter in instanti commensurari, & coexistere spatio maiori se; iam enim minus esset æquale maiori: Sed neque potest quis mutare locum in instanti naturaliter, quia vel qui sic mutat locum est in instanti in duobus locis, & hoc nec est mutare locum, nec fieri potest naturaliter, vel in eodem instanti non esset hic, & in eodem esset alibi, & hoc est impossibile, tum quia esset hæc quædam productio, seù actio, & potius creatio in distans, quæ repugnat; tum quià si mouens se a loco B ad C quo instanti non est in B, se producit in C, iam non existens potest producere se ipsum, vel aliud, etenim illud esse, quod eiusmodi mouens habet in C productum, est non producens,

cens, nec quidquam influit ad hoc vt fieret, ſed factum eſt à non ente: & multò minùs poteſt quid nihil producendo ſtatuere ſe in alio loco, vt mox dicemus.

132. Eſto autem poſſit mobile alium, & alium ſupernaturaliter acquirere locũ abſque vlla reali mutatione intrinſeca, hoc eſt abſque vlla aquiſitione, vel deperditione entitatis realis, vel modalis, qua vbicetur; tamen nulla res creata poteſt virtute ſua ſe mouere localiter abſq; aliqua entitate reali ſuperaddita, quia ſic mouere ſe eſt agere. Et ſi mouere ſe, non ſit agere, difficile erit ſtatuere, quid tandem ſit ratio agendi: eſt autem inintelligibile, quod quis agat, & tamen nihil producat, ſeù nulla entitas ab ipſo ſit.

133. Neque ſatisfacit diſtinctio actionis, vel cauſæ in productiuam, & adductiuam, quæ nihil eſt notior hoc ipſo puncto, quod controuertitur. Et quid præſtat actio adductiua, & quomodo effectiuè adducit, ſi nihil efficit, nulluſq; eſt ipſius actus ſecundus? Præterea vel vbi quis ſe mouet localiter, concurrit Deus & ipſe, vt cauſa naturalis, & vniuerſalis mouens, vel non; ſi dicatur quòd non, dicitur contra ſenſum communem, & manifeſta Scripturæ loca, ſi autem

verè etiam Deus concurrit ad mouendum, quæ est item huiusmodi efficientia Dei nihil, vbi de nouo mouet, seù efficit, nihil inquam tamen de nouo producentis?

134. Etenim quod Deus conseruet mobile in diuersis loci partibus successiuè, hoc importat quidem mutationem localem, eamq; efficit solus Deus actione conseruatiua, at neque hic est conceptus motus localis absolutè sic dicti, & multò minus est conceptus motus localis, quo creatura se actiuè moueat, cum nulla possit concurrere ad sic se mouendum, vt non potest concurrere actiuè ad se conseruandum.

135. Quod autem dicatur mouere se aliquid per hoc, quod exigat sic a Deo transferri, falsum est: vel enim ponitur, quod liberè exigat, aut spontaneo necessario appetitu, & hoc falsò dicitur: sępè enim ægri sic exigunt per se moueri, & tamen nec Deus illos mouet, nec ipsi præ ægritudine mouent se ipsos: si autem ponatur, quod ipsa virtus physicè motiua sit mere exigentia, vt moueatur a Deo, dicitur contra communem sensum, imo contra experientiam, qua scimus, quod agimus vbi mouemur, sicut scimus, quod agimus vbi intelligimus, aut vbi volumus: & si semel admittitur actio quæ

nihil

nihil producat, iam nulla erit ratio, nec qua probetur produci nobis aliquid, vbi intelligimus, volumus, aut sentimus, nec qua probetur nos agere, cum hæc præstamus, posset enim dici nos quidem illa exigere, sed agi à Deo.

136. Mouens ergo localiter producit in mouente duos impetus, seu qualitates motiuas; altera est qualitas formaliter transferens, & quodammodò extendens successiuè mobile per locum, sicut quantitas molis extendit corpus permanenter; & est hæc qualitas ipse formaliter motus localis, vndè habet immediatè mobile mutare extrinsecos terminos loci, alter impetus est qualitas efficienter productiua præcedentis qualitatis, motusque localis formalis.

137. Quorum rationem habemus prius in motu violento, quo videtur necessariò manus v. g. impellens imprimere huiusmodi impetum effectiuum eius, quod est formaliter motus localis: si enim manus immediatè produceret motum localem, iam immediatè translatum esset mobile; non verò cum ea successione, quam experimur, transferretur; admittere enim tale genus formæ, quæ & sit in subiecto apto, & non præstet statim suũ effectum formalem, hoc ipso quod insit, videtur satis durum: & verò subiectum

esse aptum de se, vt momento transferatur ab oriente in occidentem manifestum est, ergo si quis mouens, seù impellens violenter aliquid per tria milliaria conficienda per semihoram, vbi amouet a se mobile, producit in illo totam formam impetus, seù motus localis secuturi, iam non per semihoram, sed breuissimo momento eiusmodi mobile per tria data milliaria mouebitur quod est manifestum absurdum.

138. Sed etiam in motu locali naturali duas requiri qualitates ex eo probatur, quia admisso quod impetus, seù qualitas effectiua motus impressa saxo ascendenti violenter euincat aliquid, vtique non euincit, nisi grauitationem resistentem, a qua processu temporis rursum euincitur, donec absolutè grauitans descendat: non potest autem commodius explicari ista victoria, nisi per agentiam grauitatis contra impetum ascendentem; & cum ea agentia nondum producat motum descensus, benè dicetur producere tamen impetum effectiuum eiusmodi motus, & destructiuum violenti impetus, donec præualeat prorsus, & motum iam descensus efficiat. Quod si in his casibus tam motus violenti, quàm naturalis datur huiusmodi duplex impetus, iam par ratio in cæteris quoque admit-

mittendos esse persuadet.

139. Qua explicatione facilius iam constabit illud difficile cur motus naturalis grauium, & leuium sit in fine velocior: cuius rei optimas experientias, præter communem prope omnis æui omnium sapientum auctoritatem, habemus; ratio enim huius nec est aer impellens, nec debilior aer subsidens, nec sympathica centri vicinia, quæ vel leuia sunt, vel satis arbitrariè dicuntur: sed (quod ait non tamen explicans Zabarel. pri. de mot. grau. & leuium, c. 16) quia motus præcedens adiuuat subsequentem, quatenus grauitans, vel leuitans producit vsque, & vsque huiusmodi impetum, vnde maior vsque, & vsque impetus additus velociorem etiam motum efficiat.

140. Illud alterum propè axioma; quod motus est causa caloris, res vniuersalis non est, & multa in motu nihil calescunt, aliqua, vt P. Cabeus notat, etiam refrigerantur magis, quam si quiescerent: Per consequens quod hæc, aut illa corpora calescant motu, non ipsi motui tribuendum est, qui non videtur benè posse esse causa qualitatis permanentis cuiusmodi est calor: sed tribuendum est ipsi naturæ corporum, quæ agitatione motus, & attritione ad inuicem excitent spiritus

igneos in se existentes, qui vniti ad inuicem iam reliquis partibus mobilis habeant inducere eum maiorem calorem, quem experimur.

CAPVT VII.

De Generatione, Corruptione, & Alteratione.

141. GEnerationis nomen sumitur multipliciter, vel pro mero fieri formæ, aut compositi substantialis, vel pro quacunque ratione essendi rei substantialis, vel accidentalis ab alio, vel secundùm quòd naturaliter fit, hoc est pro eo, quod est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem; in quo sensu verum est, quod generatio vnius est corruptio alterius; concomitanter tamen, & causaliter, non verò formaliter, nec propriè effectiuè: resque ita contingit, vt non ideo detur, vel dari naturaliter possit in generationibus resolutio vsque ad materiam primam.

142. Causa principalis efficiens generationis substantialis non est accidens, nec virtute sua, nec in virtute substantiæ, cum secundùm quamlibet huiusmodi rationē non

non nisi merum sit accidens imperfectius substantia generanda, atque adeo tantùm habile ad causandum instrumentaliter: Sed est ipsa substantia immediatè actiua secundùm propriam virtutem, & productiua alterius substantiæ: idque non solùm in cęteris generationibus, sed etiam in ijs, quæ generantur ex putri, vel ex seminibus separatis, in quibus casibus neque benè recurritur ad substantias vagas, neque vocandus est Deus per machinam, quippe qui nec vt agens naturale habet ad huiusmodi supplendos effectus descendere, nec quærendum est, vt ad hæc inferiora, & quotidiana agat supernaturaliter; nunquid enim de bobus cura est Deo?

143. Et quidem, quod Deus tanquam agens naturale non habeat producere, quæ generantur ex putri, probatur: quia si vlla ratio requirat, ea vnica est, quòd vbi deficiunt causæ naturales, tum Deus suppleat; sed hæc ratio non subsistit, quia verè Deus non præscripsit sibi huiusmodi legem supplendi defectus causarum secundarum, quot enim monstra contingunt, quibus non supplet Deus, vtcunque causæ eorum deficiant: deinde non est in eiusmodi casibus defectus vllus, vt enim causæ secundæ inanimatæ non habeant vim producendi ranam, sic neque habent

vim, vel intentionem disponendi ad ipsam; intentio enim operandi sequitur ad perfectionem essendi, & dispositiones Instrumentariæ non exigunt, plusquàm exigant, vel intendant causæ ipsæ principales; sed vbi non est exigentia effectus, neque est defectus, si non producatur, ergo in datis casibus, vt causæ non deficiunt, ita neque Deus potest efficere tales effectus, vt causa vniuersalis, & ad supplendum defectum causarum naturalium.

144. Quibus autem substantijs tribuendi sint in datis casibus ij substantiales, & animati effectus non videbitur difficile assignare, si admittatur, quod latè prosequitur S. Augustinus tertio de Trinitate c. 8. & 9. vbi ait passim in elementis dari semina inuisibilia rerum, quæ fiunt, & herbarum, & animantium etiam, eaque prodire in plantas, & bruta, vbi debita temperamenti ratio contingat: hoc enim posito facile est dicere huiusmodi semina imò, vt ait S. Doctor, & seminum semina partim ab animantibus ipsis producta vbilibet, partim in rebus sparsa a conditore Deo esse animata, vt vt sint absque suis iustis organis, quæ organa huiusmodi animæ requirant quidē, vt operentur, non autem vt sint: vnde nihil mirum, si vbi opportunè per hanc, aut

aut illam combinationem causarum huiusmodi semina foueantur, & organizentur rite, consurgat animatum, quod videmus, & sensu aliud non iudicante, nominamus natum ex putri, vel ex seminibus separatis.

145. Generatio viuentium est origo viuentis a viuente ex principio coniuncto in similitudinem naturæ: dicit hæc vitalem communicationem viuentis erga substantiam geniti, ita vt genitus sit de substantia generantis, & eo perfectior est generatio, quo dignior, & sublimior est ratio eiusmodi communicationis, & quo magis ad viuum perfectæ imaginis similitudo contingat: terminus autem generationis formalis naturalis, & præcisus est forma substantialis, vt terminus totalis, & adæquatus est ipsum compositum substantiale.

146. Generationem præcedit alteratio, quæ est motus ad qualitatem, seu generatio qualitatis, non semper tamen alteratur in ordine ad generationem substantialem: dupliciter autem fieri potest alteratio instantaneè, & successiuè: & quidem ita successiuè, vt ne morulis quidem vllis interrumpatur aliquo saltem fixo, & certò tempore: & ratio cur successiuè habeant fieri, vel est motus localis alterantis, aut alterati, vel est resisten-

stentia, & contrarietas passi, vel ipsa libertas causæ se remissius applicantis: causam enim necessariam, & immotam, & non habentem cõtrarium successiuè agere nulla experientia manifestat.

147. Prima omnium corpora, quæ generantur, ac alterantur in sublunaribus, sunt quatuor Elementa, terra, aqua, ignis, & aer, quæ vt manifestum est dari, ita veram ac propriam habere ipsa tantum rationem elementi corporei authoritas communis opportunè admodum docet: esto euidens ratio non persuadeat; certè dato vno cõtrario tum secundùm locum, tum secundùm actionem decet dari & aliud; & vt duo prima contraria nimium exiguus erat apparatus ad eam pugnam, quæ sublunarium agentijs est necessaria, ita quatuor fuere satis.

148. Insunt illis primæ qualitates binę in singulis, & quidem in summo, eo ordine, vt ignis sit summè calidus, & siccus: aer summè calidus, & humidus: aqua summè humida, & frigida: terra summè frigida & sicca; neque enim possunt illas habere elementa, aut remissas admixtione contrarij, ne dicatur eadem substantia necessaria, & simplex esse origo actiua in semet contrariorum, aut possunt habere remissas sine admixtione contrarij, etenim si violenter intenderentur,

iam

iam non haberent elementa, quomodo se reducerent ad suum statum naturalem, cum destruere non possent, verbi gratia, nimium calorem, nisi producendo in se frigus.

149. Hæc autem est definitio primarum qualitatum, quòd calor sit congregatiuus homogenei, disgregatiuus heterogenei, frigus verò congregatiuum homogenei, & heterogenei; humiditas facilè terminabilis alieno termino, siccitas facilè terminabilis proprio. quæ definitiones explicandæ sunt maximè in ordine ad mixtionem, in ordine ad quam etiam ritè dicuntur frigus, & calor actiuæ qualitates; siccitas, & humiditas passiuæ.

150. Dicuntur hæ qualitates corporum sublunarium primæ tum vniuersalitate, cum insint omnibus mixtis, tum quia sunt primorum corporum principales, actiuiores, & notiores. an autem sint & origines cæterarum, vt facilè est in aliquibus concedere, ita de omnibus non est humani ingenij determinare, cum aliæ qualitates tum occultæ, tum notæ possint oriri, & probabilissimè oriantur immediatè vel ex toto, vel ex parte ab ipsa substantia rei, vel mixtæ, vel etiam simplices.

151. Qualitates symbolæ tum elementorum, tum mixtorum, tum cæle-

stium, tum sublunarium non audemus dicere, quod specie differant; cum nullum solidum Argumentum hanc differentiam suadeat: imò firmiùs tenemus conuenire; sic enim mutantur facilius corpora, & alterantur, & iuuantur ad inuicem consimilibus qualitatibus, & effectus quoque habent consimiles.

152. De transmutatione Elementorum ad inuicem non habemus sufficientem rationem nec a priori, nec a posteriori, vt dicamus omnia elementa ad inuicem immediatè trasmutari: vnde enim constat terram immediatè mutari in aërem, vel aerem in terram, & si quæ alia eiusmodi? illud verum est aliqua ad inuicem immediatè transmutari, & quidem facilius symbola, quam dissymbola cæteris paribus, & si occulta virtus id non impediat, quin imò & ex duobus dissymbolis ad inuicem agentibus tertium elementum generari non repugnat.

153. Nec est incongruum ignem esse in concauo lunæ, vbi nec absumet cælum, vel incorruptibile ponatur, vel impassibile a sublunaribus, nec incendet aerem æquè calidum, & siccitati ignis humiditate resistentem; qua non resistit apud nos varijmodè immutatus: & vulgaris error est, quod ignis, vt duret, indi-

indigeat pabulo; esto, vt in cæteris, opus habeatur noua materia, vbi de nouo ignis faciendus est, & certè plenum decet esse spatium a terra ad concauum Lunæ puriore semper corpore, quid ni ergo igne secundùm superiorem portionem? quid autem Aristoteles hac de re senserit, res est dubitabilis, sed neque eius hìc authoritate teneri nos oportet, cum ne ipsi quidem Philosopho robusta fuerint argumenta adhanc, illamue partem asserendam.

154. Locum elementorum naturalis ipsa eorum grauitas, leuitasque ostendit: sed necessitas generantium, ac viuentium ordinem alium requirit: vnde minus est reperire elementa pura, nisi vbi maximè distant a contrarijs: proportionem magnitudinis mortalium nemo scire naturaliter potest; multum enim terrarum, ac marium secundùm latum, & secundùm profundum occultum est, & incerta est tum distantia cæli Lunaris, tum quo loco terminentur ad inuicem ignis, & aer.

155. Elementa, esto non maneant in mixto in alterata, vt cęmenta, & lapides in pariete, nec saluata, & integra quo ad figuram, apparentiamque sensibilem, nec per accidens, & sine ordine ad vlteriorem formam mixti; quomodò

manent in mixto artificiali, quæ artificialiter permiſcentur, attamen manent in mixto formaliter ſecundùm ſubſtantiam illæſam ſubſtantialiter, nec imminutam, alterata tamen, & refracta ſecundùm qualitates ſuas; quo fit, vt rectè definiatur ab Ariſtotele mixtio eſſe miſcibilium alteratorum vnio.

156. Et non poteſt intelligi aliter mixtio, niſi, quæ miſcentur, inexiſtant; vt patet in mixtione artificiali; imò niſi & alterentur aliquo tandem modo ad inuicem: quod ſi ſolæ remanent qualitates elementorum, nec illæ miſcentur ad inuicem, mixtio enim eſt ſubſtantiarum, & corporum, neque alterantur ad inuicem, ſed imminuuntur, & deſtruuntur: quod enim alteratur, non eſt qualitas, ſed qualitatis ſubiectum: vnde, quàm certum ſit dari mixtionem, tam certum eſſe oportet permanere in mixto elementa mixtionis, & licet non ſit Phyſicè experiri in ſingulis corporibus ſublunaribus diſtinctis ab elementis, quòd habeant in ſe formaliter elementa inexiſtentia; tamen eſt hoc cognoſcere in non paucis, & iam ſimilitudo qualitatum demonſtrat etiam de cæteris.

157. Neque nos turbet, quod videatur inintelligibilis huiuſmodi ad inuicem

nicem miscibilium compositio; quomodò enim stabit agnus cum Lupo; inerruntque simul ignis, & aqua, & quidem fracta, redactaque in minutissimas particulas, quod esset componere mundum ex atomis?: num erit ignis humidus, & tam fractæ formæ, vt insit etiam piscibus nec appareat?: quodnam vinculum tam discordia colligabit, aut quæ prouidentia satis reddet incolumes animas adeo in proximo positas, & inimicas?

158. Etenim quotidiana experientia in artificialibus ostendit misceri aquam, & puluerem, ac farinam, vel in medicinalibus siccissima humidissimis, salua vtique miscibilium substantia, & tamen adeò permutata externa specie, vt nemo oculorum illa discernat; iamque sit in eiusmodi mixto artificiali liquor, verbi gratia, non fluidus, nec indigens terminari vase, sed iam consistens, vt pote terminatus sicco, cui ita admixtum est, vt penetrari videatur, iamque natiua omnis siccitas extincta sit, vel fracta sint ad inuicem, & in minutas diuisa particulas, quod non dixerim, vel non; sed illud certum est non penetrari, cum addita ad inuicem faciant molem maiorem

159. Minus timendum est, ne dis-

cor-

cordia elementa mixtum continua pugna fatigent; super insidet enim forma mixti vltima formis elementaribus, quasi anima quædam formis partialibus, coercetque subditas, quantum potest: vnde nec statim perit, nec secura pro semper est: contingere namque potest ex aliquo accidente miscibilium aliquod conualidari magis, vnde ruina omnis mixti, & resolutio contingat.

160. Atque hinc est illa temperamentorum harmonia in sublunaribus, quæ concentum cæli æmulata gloriam Dei, & ipsa tenuiore licet modulatur auena; quod ita tamen intelligendum non est, quasi tota ratio secundarum qualitatum, quibus vnà cum primis mixta temperantur, a solis Elementis proueniat; Sed magnam partem ipsa elementa, magnam ipsa quinta forma mixti proprijs, vt credere dignum est, suis qualitatibus conficiunt, quæ forma etsi intransitiuè simplex, tamen ritè dicitur forma mixti, ratione substratæ sibi materiæ mixtæ, quam actuat, sibique, vt pote naturæ capaciori, requirit.

161. Porro temperamentum de formali dicit proportionem combinatarum qualitatum ad inuicem: de materiali

dicit ipsas combinatas qualitates : licet autem enumerare singillatim omnem mensuram, aut diuersitatem temperamentorum impossibile sit, attenta maximè varia mensura non solum qualitatum, quæ notæ sunt; sed etiam earum, quæ ignotæ : bene tamen afferri possunt certæ classes, ad quas omnia temperamenta notiorum qualitatum reducantur: quales passim afferri solent a Medicis tum in animalibus, tum in Plantis, tum etiam in alio genere inanimatorum corporum, in quibus tamen non est adeo spectanda temperamenti ratio secundùm qualitates notas & primas, vt obliuiscamur multum eiusmodi temperamentum variari virtutibus tum accidentalibus, tum substantialibus formæ mixti, vnde contingit non raro, quòd magnam experiamur virtutum, effectuumque diuersitatem in Corporibus ad sensum, & in iure primarum qualitatum non ita multum diuersis.


162. An, & quomodò temperamentum corporis sequantur animi mores, Galenus vera falsis admiscens prolixè executus est. Nobis constabit ex ijs, quæ mox de ipsa anima dicturi sumus. Illud certum est, quòd magnum est pondus non materialibus solùm; sed etiam animæ rationali, quam aggrauat,

&

& deprimit terrena inhabitatio: Verum, vt in ijs, quæ sunt eiusdem speciei a corpore, non ab anima, & a mixtionis temperamento, non a forma mixti venit, quod alia, & alia indiuidua sint maioris, minorisue perfectionis, & magis minusue ad bonum propensa, ita nunquam corporeæ molis aut vitium, aut virtus inuincibiliter animæ libertatem inclinat; vnde nequeat liberè eligere contra ipsas etiam corporis propensiones.



PARS



PARS TERTIA SEPTENTRIO, *seu* DE CORPORE CAELESTI, & ANIMATO.



1. IN hac tertia mundi parte, qua vergimus ad altiorem Septentrionis axẽ, naturas quoq; potissimum altiores exponimus; cælum scilicet ipsum, & animata, quæ vel incorruptibilia magna ex parte sunt, vel si corruptibilia, certè reliquis sublunaribus nobilioris naturæ titulo antecellunt.

CA-

CAPVT I.

De Natura Mundi, & Cæli in vniuersum.

2. MVndum ab elegantia, & concinnitate tum partium, tum vniuersitatis omnis sic dictum constituunt duæ magnæ partes sublunaris, & cælestis in statu absolutè perfecto secundum consilium opificis, & conditoris Dei, qui, tum vbi fecit, tum longè antequam faceret, vidit quòd esset bonum.

3. Vnicus est mundus, non natura, sed electione: Deus enim, qui vnum fecit, potuisset facere longè plures, vt etiam perfectiores, & maiores, si voluisset. Sed ratio ipsa ordinis, & perfectæ gubernationis Mundi illud suadet, potius vt vnicus sit, quo melius ea, quæ sunt, ad inuicem ordinata sint, inter seseque connexa dirigantur ad vnum, eundemque summum finem, sicut ab vno, eodemq; summo principio, & exemplari profecta sunt.

4. Res sublunares, demptâ materiâ primâ, & quantitate eius, & animâ rationali, sunt corruptibiles, veniuntque in com-

compositionem secundùm actum, & potentiam: Res cæelestes probabiliter statuuntur respectu agentium naturalium esse incorruptibiles, & ingenerabiles. videntur enim, ingenerabilia, & incorruptibilia esse debere illa, quorum virtute incorrupta, & influentia superiore ducuntur cætera in generationem, & corruptionem.

5. Quod cælestia sint quintæ cuiusdam essentiæ simplicis, & incompositæ, perfectio ipsorum, & ratio negatiua, quod non habemus indicium in oppositum, docere videntur: imò, si iusto loco sunt, vt esse dicere oportet, ergo & differunt specie a substantijs sublunaribus, vt specie differunt terra ab aqua, & hæc ab aëre, & igne, quæ locum habent alia alijs superiorem: Sed etiam motus eorum natiuè circularis arguit, diuersam ergo sortita esse naturam, quæ tam diuersi motus principium sint.

6. Proprium est inferiorum, & sublunarium rerum illuminari, rerum verò cælestium illuminare: primus luminum moderator est sol, a quo bibunt cætera lucem; sed & Planetæ omnes videntur illuminari à Sole, ita tamen, vt licet aliquid de se habeant lucis, adhuc tamen hauriant a Sole maiorem. Stellis fixis, vtpote viuacissimi luminis, & distantissi-

mi a Sole, probabilius assignatur lumen proprium, quàm quòd de Sole ipso concipiant.

7. Maculas, faculásque Solis, Cometas item, ac Stellas nouas componere cum incorruptibilitate cælorum, imo & cum admissa Corruptibilitate, vt etiam ordinem, & locum, & motum hisce statuere perdifficile est, & prope extra aleam humanæ scientiæ collocatum: arduum enim ex vna parte est tam distantia, & multimodè turbabilia certis, ac irretortis oculis contemplari, ex alia verò nec vnus Astronomus potest per se omnia speculando satis certè experiri, & triste nimis, ac repugnans est scientijs, quòd sciendi principium a traditione, ac fide humana, eaque pendente, ac varia exordiatur.

8. Pari passu difficile est certò cognoscere verum mundi sistema; cum, quæ obseruata traduntur, valde inter se pugnent, & si non pugnent, non vnico tantùm, sed alio, & alio dato sistemate adhuc possint consistere. vnde arbitrer commune mundi sistema, vel certè paucis mutatis congruentiùs saluari refusa tota varietate obseruationum, quæ admittendæ sint, & rei huic possint obsistere, vel in opportunos Epicyclos, vel in maiorem hic, aut ibi densitatem, aut rarita-

rita-

ritatem opaci, vel transparentis, quæ propter diuersam refractionem, reflexionem, receptionemque luminis, varijmodam causare habeant apparentiam.

9. Si maximè, quod commodum valde videtur, statuantur cæli quidem omnes solidi; sed tamen distantes ab inuicem, intercapedine fluidi, cælestisque, ac varij, & alterabilis corporis, quod per variam motuum discordiam, non minus quàm concordiam, habeat condensari ad inuicem, ac rarefieri, & (vt cæleste sit) sequi motus cælestes cum ea regularitate perfecta, vel minus perfecta, quàm obseruationibus diligentibus meliores Astronomi deprehenderunt.

10. Quantitatem terrenæ molis, & aqueæ, & aereæ, & igneæ non possumus vel ex nobis, vel ex aliorum laboribus definire; nempe fines, certosque horum terminos ignoramus. adhuc latet magis moles cælestium, quæ posuere distantiam latibulum suum, quam non ita euincit vsus diligens parallaxeon, quin præ varia specierum per magis, minusue luminosa, ac densa transeuntium multùm, vt pote speculantes a longè, a vero aberrare necesse sit.

11. Motum diurnum, nocturnumque tribuere terræ, non cælis est contra omnes humanas, diuinasque rationes peccare.

re. Pariter non mouetur terra motu trepidationis, non enim est assignabilis in sublunaribus causa sufficiens ad tantum in ipsa impetum efficiendum; cælorum motus rebus sublunaribus necessarij admittendi sunt, quorũ varietas sũma, &, si iuuet dicere, prope irregularis, nec paucis colligi, nec multis p se satis explicari põt.

12. Quod attinet ad influxum cælestium in inferiora, negandus ille non est: ipsa dignitas cælestium corporum magnę efficacitatis eadem esse demonstrat, & experientia contingentium variè secundùm varias anni tempestates idipsum clarius ipsa luce declarat: vt autem corporum est iste influxus, sic vsque ad corpora tantùm formaliter, & effectiuè procedit: Rationalem animum non attingit, nisi si secundùm dispositiones corporeas, proindeque integra prorsus, & salua ipsius animi libertate.

13. Vnde fit, vt licet Astronomus aliqua futura, difficulter tamen (exceptis communioribus, & frequentioribus) præuidere possit erga inferiora ex præuisa diuersimoda ipsorum astrorum secutura necessario dispositione; tamen, quæ a libero pendent arbitrio, ea quomodo, qualiterque, & vtrum futura sint, nihil prorsus Astrologica diuinatio assequi potest, nec contigit vnquam, quod asse-

affecuta sit, nisi vel casu, vel praui Dæmonis, aut certe boni, si Deo placuit, ministerio.

14. Etenim, quod sidera futurorum etiam liberorum signa sint, nec ex ipsorum siderum natura, nec ex scripturis habetur; cum potius videatur haberi oppositum (damnata sacris censuris arte præuidendi futura libera ex Stellis) neque habetur ex diligentia humanæ obseruationis; tam multa enim sunt toto firmamento sidera, tam varia per omne temporis momentum combinatio eorum, & respectu sublunarium tam varij in terris diuersissimis hominum effectus, & passiones, vt nulla vnquam ratione satis coniecturaliter, nedum euidenter confici possit hunc, vel illum effectum ab hoc potius, quam ab illo Astro significari.

15. Multò verò absurdiùs est dicere, quod ab astris, tanquam a causis habeantur futura libera præuideri saltem probabiliter, tum quia tollitur libertas in humanis, quam certam, & euidentem habemus; tum propter eandem rationem summæ varietatis influentium e cælo stellarum, quo fit, vt impossibile sit cognoscere, quæ sit huius, vel illius astri virtus effectiua; cum maximè, quo quis tempore aut nascitur, aut decumbit, aut se dat itineri, non vno sidere influente,

sed propè innumeris id faciat, iisque vel oppositis, vel disparatis, quæ nec Astrologus considerat, nec considerare potest.

16. Et verò, vt diuisiones domorum cælestium, & constellationum, quo ad ista præuidenda, planè sunt arbitrariæ, planèque arbitrariè designata est ipsis ratio influendi alteri valetudinem, alteri Religionem, opes, Amicos, aliaq; huiusmodi, sic non nisi arbitrariè dicitur hæc quidem Stella esse masculina, illa muliebris, hæc primum, & maius, minusue infortunium, illa fortuna maior vel minor, hæc sicca, aut frigida, aut humida, illa ignea alteriusue cuiuspiam tandem temperamenti: nullus enim prorsus in sublunaribus effectus est, cui peculiariter tribui possit, ne leui quidem cum probabilitate, frigiditati verbi gratia, vel malignitati saturni, vnde ipsum esse hanc, aut illam fortunam deprehendi possit.

17. Sicut enim, si quæ bos varias depascat herbas, non potest quis, si nihil aliunde habeat, cognoscere, quæ potius herba noxia fuerit boui defunctæ, & si quis tectus oculos, vt fit ludicrè, ab vno ex multis præsentibus percussus, non potest satis decernere, quis percusserit: ita cum a multis simul, & semper sideribus influatur, licet sit hic, vel ille effectus fri-

gri-

gidus, & malignus; non tamen ideo dici potest vna, vel altera potius ex illis stellis esse maligna, vel frigida; cum vel ab omnibus simul causatus sit, vel ab omnibus potuisse causari videri possit. Præterquamquòd tam multis agitur e cælo influentijs, vt sit ridiculum omnem virtutem cælestium colligere secundùm aliam, & aliam primarum qualitatum, eamque male cognoscibilem distributionem.

18. Quod autem diximus supra diuinatum aliquando esse ex stellis ope Dæmonis, eo sensu intelligendum est, non quasi possit Dæmon ex astris certò libera futura prædicere, Dæmon enim non habet artem, quæ nulla est, nec naturaliter esse potest: & probabile est Deum non statuisse illam diuinitus, qui vult potius vniuersaliter latere futura quam sciri, sed diximus, in quantum potest ex Astris futura necessaria prædicere, & inde cognoscere, quantam habeant in corpora vim ad animum incitandum, atque inde, quid probabilius attento animorum, & circumstantiarum habitu futurum ipse speret, aut timeat.

Porro non dari hanc artem diuinandi ex stellis, tanquam ex causis efficientibus, vel disponentibus, vel inclinantibus (ne cum probabili quidem coniectura (effe-

ctus, & contingentias liberas mortalium, manifestiùs vnusquisque cognoscere potest, si apud se casum statuat, quod nondum sit inuenta, nec obseruata huiusmodi ars, nec tradita præcepta eius, (qui casus certè fuit): deinde secum ipse cogitet, qua iam ope, qua via initium capiat sciendi, quid influat Mars, quid Saturnus, quid Canis, quid vrsa, aliæque singulares stellæ: quæ religionem, quæ filios, quæ mortem, aut vitam, & si quæ alia huiusmodi importent; & qua ratione probabit hoc potius, quam illud ab hac aut illa stella deriuari: manifestè enim intelliget nulla se ratione posse ad ista obseruanda, ne coniecturaliter quidem ascendere, atq; adeo nec potuisse ergo statui eam artem, cuius non possunt excogitari principia.



CA-

CAPVT II.

De mundi, ac rerum tempore, inceptione, & desitione.

19. QVo primùm momento conditus est mundus, tum cæpit tempus successiuo cursu defluere, diuinæque æternitatis immensa spatia, quasi Pygmæo molimine dimetiri. Res vero hæc tam certa, quam explicatu difficilis nos vocat ad altiorem indaginem, qua non solùm tempus, quod aliqua tandem duratio est; sed durationem omnem, speciesque, ac proprietates eius varias, tum initia, tum fines digeramus.

20. Est ergo duratio vniuersaliter sũpto vocabulo permanentia, & extensio essendi aliqua tandem, secundùm quam res, quæ durare dicuntur, non solùm sunt, verùm etiam perseuerant in esse, breuius, diutius, secundùm quòd maior est, minorue earum duratio: hic est communissimus, notissimusque durationis conceptus: vt enim, quæ sunt, non hoc ipso durant; sed debent permanere in esse, vt durent, sic alius est necessariò conceptus essentis, alius est conceptus durantis, nec alius tamen esse potest, nisi hoc vno,

quòd ratio durantis supra esse permanentiam quandam essendi, & perseuerantiam importat.

21. Quod primò controuertitur est, an distinguatur a re durante, in quo vniuersaliter loquendo de quacunque tandem re, increata, vel creata, fluxa, vel permanente; spirituali, vel corporea dicendum est non distingui realiter: est hoc manifestum de Deo, cuius duratio æternitas est, summa, diuinaque prorsus perfectio, ac proinde identificata realiter ipsi Deo, qui intransitiuè perfectissimus, a nullo vel accidente, vel ente extrinseco habet expectare, quo in aliquo genere perfectior fit.

22. Durationem autem identificari creatis successiuis simpliciter sic dictis, puta motui locali, vel augmentationis, vel alterationis, inde satis constat, quod durare huiusmodi entium est ipsum fieri eorumdem successiuè, scilicet, pars post partem, accepto ly fieri non solùm pro ipsa entitate modali actionis, si modalistis placeat, sed etiam pro ipso termino, qui fit: durat enim, & perseuerat, secundùm quòd hæc, & illa pars post hanc, & illam partem successiuè existit, aut fit. Vt autem ipsum fieri, & esse rei pars post partem ab ipsa actione, & esse rei non distinguitur, ergo per consequens non distin-

gue-

guetur ipsum durare eiusdem, & certè loquendo de hora vigesima, verbi gratia, vel motu locali per tria militaria, vel alteratione, qua per horam calefio a primo ad sextum vsque gradum merè intellecto, quod fiant, seu quod sint illæ horum motuum partes aliæ post alias (sunt autem se ipsis formaliter, vt ab efficiente efficienter) satis superque, benè intelligitur durare hora, & motus, & alteratio tamdiu, quamdiu de nouo existunt aliæ ipsorum partes post alias.

23. Quo similiter manifestum est durationem rerum Creatarum permanentium aliud tandem non esse, quàm ipsum existere earum hodie cras, & post cras, seu nunc, & prius, & posterius, cum præcisè intellecto hoc, perseuerantia essendi earum intelligatur: habent enim se realiter in esse res, sicut in fieri, & in durare, sicut in conseruari; vnde sicut conseruare non est aliud, quàm ipsam productionem extendere, ita durare nihil aliud est, quàm extensio quædam ipsius esse, quod factum est, & conseruatur. Cum verò ipsa conseruatio sit continuata, & successiua productio non per aliam entitatem, sed se ipsa, suisque ipsius partibus; per consequens etiam duratio erit se ipsa per extensionem essendi ipsius rei durantis continuatum, & per-

seuerans ipsius eiusdem esse.

24. Contingit hic secundum prius, & posterius, quod in quantitate continua corporum entitatiua, vel molis vsuuenit, quod sicuti aurum, verbi gratia, non est entitatiuè quantum per aliam entitatem a se distinctam; sed merè per hoc, quod idem esse substantiale auri per partes sui extensum est additis productione simultanea, vel successiua partibus eiusdem possibilibus, vel actualibus ad alias partes, hoc est addito alio esse auri ad aliud auri esse, sic perseuerant secundùm durationem etiam res permanentes non per aliam entitatem ipsi rei duranti, & permanenti superadditam; sed mera quasi extensione, & reproductione, seu replicatione sui ipsius totius secundùm prius, & posterius, cum creata, quæ durant hoc ipso, quatenus durant, Conseruentur, idque vel secundùm alias, & alias partes, vt simpliciter successiua, vel secundùm idem totum, vt permanentia, quorum conseruatio benè dici potest replicatio quædam secundùm tempus, vt esset replicatio secundum locum, vbi quis poneretur permanenter in pluribus locis totalibus immediatis.

25. Neque huic sententię tritum illud obstat, creaturas, puta Angelum B; esse indifferentes ad durare magis, vel minus,

&

& ad durare hodie, vel cras, ergo per aliquam entitatem esse ad ista determinandas: hæc enim indifferentia obiectiua est, nec tollenda per aliam entitatem, quam ipso esse rei, quæ fiat, & conseruetur magis, vel minus, hodie vel cras. Illud verum est quod duo hic considerari possunt, & ratio durationis tantùm, & hæc nihil dicit superadditum rei duranti, vt explicatum est, & ratio durantis hoc, aut illo tempore, & hoc, vt dicit coexistentiam cum altero durante, vtique etiam dicit extrinsecum quid, sed importans tantum rationem mensuræ, & coexistentiæ ad alteràm durationem, non verò rationem ipsam durationis.

26. Triplex est tantùm species durationis tempus, æuum, æternitas: Tempus est duratio propria motus, æuum rerum permanentium, æternitas Dei solius. Potest autem accipi tempus materialiter, secundùm quod est a parte rei ante animam, & formaliter, secundùm quod est id, quo durationes aliarum rerum dimetimur: si accipiatur primo modo, tempus nihil aliud est, quàm ipsum existere motus pars post partem, seu ipsum moueri aliquid motu, qui successiuè fiat, & pars post partem: si autem accipiatur secundo modo, tempus est numerus, seu mensura quædam motus, seu certa quan-

titas certi motus, qua secundùm prius & posterius aliarum rerum esse, motum, ac durationem metimur.

27. Hoc enim est omnis quanti verè, & absolutè sic dicti proprium, quòd natum sit mensurare alterum secundùm eandem speciem quantum, & rursum mensurari ab alio item quanto consim li: sic mensuramus quantitatem permanentem permanente curuas lineas curuis, rectas rectis, pondera ponderibus, numeros numeris, & motus horologij hydraulici, vel solaris, motus tum negotiorum inter homines, tum cæteros, prout iuuat huius, aut illius quantitatem cognoscere.

28. In quo illud in vniuersum requiritur ad rationem mensuræ, quod sit quantitas certa, & cognita, vel per se primò propter rationem paruitatis, & statim ipso ictu oculi æstimabilis, vel proximè ad per se primò: cuiusmodi sit in ponderibus vncia, in quantis mole granum hordei, vel digitus, vel palmus; in Musicis eleuatio, ac depressio manus: cum verò multi, motus maximè locales, habeant esse certi, & determinati, & cognoscibiles, hinc est, quod multis varijsque motibus vmbrarum, rotarum, pulueris, siderumque alios motus, ac operationes metimur, & quoniam nullus est vniuersaliter

ſalior motus regulatior, ac certior, quàm motus ſolis, qui eſt ipſius primi mobilis rite diuiſibilis in annos, menſes, dies, & horas ſingillatim nobis cognoſcibiles, hinc eſt, quod propriè, & benè, & abſolutè motus ſolis, ac primi mobilis dicitur tempus.

29. Et hæc de formali ipſius temporis, materiale autem eſt ipſa entitas motus, præcipuè localis, qui ſolus eſſentialiter ſucceſſiuè fit, ipſaque extenſio ſucceſſiua eius diuiſibilis in partes priores, & poſteriores: eſt iſta imperfectiſſima ratio durandi, nec videtur promereri nomen abſolutè ſic dictæ durationis, cum verè non dicat permanētiam in eſſe eiuſdem ſimpliciter rei, quæ fit, ſed fluxum continuum, qui tantum dici poteſt æquiuocè permanere, quatenus ex ſimili priori parte, & poſteriore conſtantem verbi gratia horam intellectu colligimus, & quodammodo illam totam durantem cognoſcimus.

30. Aeuum duratio eſt creatarum rerum tum diuiſibilium, tum indiuiſibiliū, corruptibilium, ſeu incorruptibilium, ſecundùm quam ea, quæ durant, permanent in eodem intranſitiuo eſſe, quod initio acceperunt, non quia pars eorum poſt partem ſucceſſiuè fiat; ſed quia tota ſemper ſimul facta conſeruentur, & noua ſe-

cundùm prius, & posterius, quasi replicatione, & reproductione de nouo fiant, & sint.

31. Est hæc duratio propriè permanens, cum res quæ durat, eadem indiuisibiliter tota maneat hodie, & cras, & post cras, & simul est successiua (quod liceat dicere cum bona venia plurimorũ prælucentibus tamẽ huic sententiæ Scoto, S. Bonauentura, & Doctore optimo P. Nicolao Zucchio) quę duo tantum abest, quod repugnent ad inuicem, quod potius se se mutuo inferunt, ita vt propriè, & in rigore formali nec permanentia sint, quæ successiuè non durent, nec successiuè durent, quæ permanentia non sunt.

32. Inde verò patet entia permanentia, verbi gratia hominem, aut Angelũ, successiuè durare, quia durant diuisibiliter, cum possit eorum duratio diuidi, vt si durent per secundam, & tertiam horam, tum quarta destructi rursum sint per quintam, & sextam: impossibile enim est non esse quantum illud, quod est diuisibile, aut esse simultaneum, quod est diuisibile secundùm prius, & posterius, adde quòd propriè durant hæc entia magis, minùs, diutiùs, breuiùs, quæ sunt mensurationes propriæ quantitatis non simultaneæ, vt hic euidens est, ergo successiuæ.

33. Ne-

33. Neque intelligi potest, quomodò propriè, ac formaliter Angelus coexistat successioni temporum, & motuum, commensureturque ipsis, & ipsa Angeli duratio non sit successiua; quia non commensurantur, quæ similiter quanta non sunt. Et, si Angelus nunc primò verbi gratia, creatus durat duratione non successiua, ergo simultanea, & per consequens durat eandem durationem, qua per decem, vel viginti, vel centum annos durabit, nec crescit ipsius duratio, si successiuè non crescat, quæ manifestè falsa sunt, quocunque enim momento, postquam factus est, potest destrui; ergo prima hora, v. g., qua existit, non durat durationem horæ secundæ, vel tertiæ, & inde sequentium; alioquin non posset post primam horam destrui, quia scilicet durasset secundam, & tertiam horam, & non durasset, si prima hora simultaneam sequentium horarum durationem durasset: quod autem dicatur non esse successionem vllam, vbi non est variatio, vel interitio vnius, & noua effectio alterius, vel vbi partes non recedunt, alijs aduenientibus, ista æquiuoca sunt: est enim duplex successio, altera, qua totum succedit toti, altera qua pars parti, seu altera, qua succedit idem sibi ipsi, altera, qua succedit alterum alteri, seu tādem altera,

qua

qua ſuccedens abſolutè de nouo fit, cum non eſſet, & id, cui ſuccedit, cum eſſet, deſinit; altera, qua ſuccedens etiamſi antecedenter erat, tamen denuo, & rurſum fit: quo rurſum ante factum nō erat, & id, cui ſuccedit, in ſe ſe ſuccedente manens continuat.

34. Neque habet difficultatem, quod idem ergo Angelus ſit diuiſibilis, ſi durando ſucceſſiuus eſt, vel quod videatur impoſſibile idem ſibi addi, & ſuccedere; namque non repugnat rei indiuiſibili ſecundùm ſimul, diuiſibilitas ſecundùm prius, & poſterius: nec item idem totum ſuccedere ſibi ipſi, quod eſt ſucceſſiue conſeruari. & ſicut poteſt Deus replicatione centies, vel ducenties producere eundem Angelum, vel hominem, ita vt coexiſtat loco extenſo v. g. per milliare, & ſic diuidere etiam inter ipſos, quid ni poterit intelligi, quod non miraculosè, ſed ſecundùm naturam rerum, fiat huiuſmodi replicatio, ſecundùm prius, & poſterius eiuſdem, quod eſt ipſum conſeruare, & addere idem ſibi ipſi.

35. Imò contingit hic, quod contingit ſine miraculo in quanto permanenti, quod idem realiter quantum eſt diuiſibile, & indiuiſibile ſecundùm diuerſas rationes; dato enim palmo auri eſt obſeruare, quòd in toto palmo, & in quacunque parte ip-

ſius eſt tota quidditas, & definitio obiectiua auri, ita vt accipi non poſſit pars vel quàm minima, quæ non ſit abſolutè aurum perfectum, nec maxima, quæ ſit pluſquam aurum: extenſum eſt autem aurum, ſeu magnum per hoc, quod factæ ſint additiones totius eiuſmodi auri, ſeu aureæ quidditatis ad totum ſecundùm locum, ſicuti dicebamus toti, v. g. Angelo, fieri, dum durat, additionem totius Angeli, ſecundùm prius, & poſterius: quæ eſt ipſa quantitas durationis Angelicæ, in hoc differens a quantitate Aureæ extenſionis, quod illa eſt additio nouæ partis, & nouæ, hæc eiuſdem ſemper, & eiuſdem totius Angeli.

36. Illud animaduertendum eſt differre præterea æuum a tempore, quòd non ſolum alterum eſt ſucceſſio totius ad totum, alterum partis ad partem; ſed, quod tempus, ſi debeat eſſe menſura, debet eſſe per ſe ſenſibile tum ipſum, tum maioritas & minoritas ipſius, quod contingit maximè in motu locali; cuiuſmodi nunquam poteſt eſſe æuum de ſe, cum de ſe nullam varietatem, multò minus ſenſibilem dicat. An autem dentur tum in tempore, tum in quacunque duratione ſucceſſiua inſtantia, vel terminatiua, vel continuatiua, reſpondendum eſt negatiuè propter conſimiles rationes, quibus illa ne-

negauimus in quantitate permanente.

37. Neque enim constat quantitas successiua partibus actu distinctis, & multò minùs ex instantibus, alioquin etiam componeremus ex indiuisibilibus Mathematicis quantum permanens, quod diuisibilitati motus correspondet, & longissimas, atque irrationabiles morulas admitteremus in motu, si explicandus esset velocissimus vt mille, & tardissimus vt duo: constare verò tempus ex partibus, quarum aliæ nondum sunt, aliæ transeunt, vel transierunt, probat quidem partes temporis non identificari indiuisibiliter; at non probat non identificari secundùm continuationem successiuam, secundùm quam sola cessatione succedendi diuiduntur.

38. Porro illud proprium est creatarum rerum durantium, quod habent de nouo fieri, & destrui, quod est incipere, & desinere: quæ licet ritè dicantur contingere in instanti, tamen hoc, vt benè probat existere instantia secundùm distinctionem rationis, quatenus tempus ipsum inadæquatè acceptum secundùm hanc, aut illam rationem nullam dicit quantitatem, aut successionem; non tamen ideo cogit admittere instantia, quæ sint vlla entitas verè distincta a partibus ipsis temporis, aut durationis.

39. Ne-

39. Neque ita sentiendum est res incipere, vel desinere in instanti, quasi durationis rerum sit pars prima, & vltima, seu instantanea: vt enim in quantitate permanente, v. g. palmari, nec est prima, nec vltima pars palmi, nec primum, aut vltimum indiuisibile eius, nec prima, vel vltima eiusdem superficies, ita in durationibus nulla est prima, vel vltima pars earum; neq; enim ad hoc, vt quantitas aliqua sit finita requiritur, quod habeat principium, & finem in hoc sensu, vt primam absolutè habeat, & vltimam partem sui: satis est, vt habeat vltimam, vel primam secundùm determinatam mensuram.

40. Sed in tantum agnoscitur primũ, & vltimum, esse instantaneum, & indiuisibile in re quanta, in quantum habet accipi vel absolutè, vel comparatiuè cum alia re quanta incommensurabiliter, vel abstractiuè a quantitate; sic duæ manus dicuntur se tangere secũdùm superficies, in quantum ita sunt immediatæ, vt se commensurent secundùm latum, & longum, non verò secundùm profundum: quæ ratio superficiei est primum inde incipientibus progredi versus profunditatem, & est vltimum incipientibus a profunditate progredi versus ipsam: & sic in duabus longitudinibus vt sic præcisa alia

ex-

extensione, quod est dicere in duabus lineis se contingentibus erit agnoscere rationem puncti, quia scilicet sunt immediatæ sibi inuicem, nec se commensurant: vt sic enim non possunt sibi esse immediatæ secundùm aliquam partem, sed tantum secundùm aliquid sui incommensurabiliter, quod est secundùm punctum.

41. Quoniam ergo, quæ de nouo fiunt, ita sunt, vt antecedenter non essent, hinc est, quòd secundùm nostrum concipiendi modum immediatę sibi sunt ad inuicem istæ duæ, quasi durationes, scilicet præcedentis non esse, & sequentis esse eius, quod fit: benè ergo dicuntur, quæ fiunt incipere in instanti intrinseco, vel extrinseco, quatenus ita accipiuntur inadæquatè, vt accipiantur secundùm quòd ita sunt, & immediatè ante non erant, vel secundùm, quòd ita non sunt, & immediatè post futura sunt. Licet verò tam permanentia, quam succesiua posſint dici incipere, & desinere tum intrinsecè, tum extrinsecè (cum fluuius tam posſit dici terminari vltima superficie suæ aquæ, quàm prima superficie riparum) tamen quia ipsa inceptio, & desitio, vt dicit primum, & vltimum, dicit instantaneum, & simultaneum quid, entia autem succesſiua nunquam simultaneè

taneè tota sint, sed bene simultaneè tota non sint, hinc est, quòd melius ista incipiunt, & desinunt extrinsecè, illa vero incipiunt, & desinunt intrinsecè.

42. An autem, quod dicimus nunc, vel post nunc, sit aliquid temporis, vel non, & an fiat aliquid in instanti, & durare possit tantùm per instans: ad ista respondendum est, ly nunc non esse tempus; sed rationem temporis inadæquatè accepti præcisè a successione, & fieri in instanti aliquod idem est, ac fieri simultaneè totum simul, non verò pars post partem; sed hoc ipso, quod sit, totum sit: quomodo fiunt tantùm permanentia, non successiua: porro nullam rem existere tantùm per instans; sed necessariò fieri, & conseruari; alioquin manifestè componeretur tempus, & duratio creata ex instantibus realibus, quod diximus absurdum esse.

43. Aeternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio, seu est ratio essendi stabilis, nec expectans durationem venientem, nec deperdens prçtereuntem, ac proinde omnem durationem ipsi rei duranti competentem pleno actu amplectens, & simultaneè colligens, ac sine omni, principioque durandi carens: quæ ratio essendi ideo non nisi rei viuenti conuenire potest, quòd inanimata,

&

& mortua non potest colligere durationem suam, eaque cum simultanea possessione frui.

44. Imò huiusmodi duratione solus Deus durat, solusque durare potest, qui solus quocunque momento, ac instanti assignabili omnem temporum latitudinem amplectitur, cuique nullum intrinsecè esse, nullaque ratio essendi succedit, omni ipse successioni actuali, vel possibili, hoc ipso quod sit, coexistens; etenim sicut ita Deus immensus est, vt tamen sit indiuisibilis, itaque per omnia spatia virtualiter extensus est, atque diffusus, vt tamen vbique sit totus, totamque in quolibet puncto loci suam quasi colligat immensitatem, pari passu ita Deus æternus est, vt indiuisibilis sit eius æternitas omni spatio successionis simultanea ipsa coexistens, adeo vt tota sit in toto tempore, seu tota coexistat toti tempori, & cuilibet puncto eius, se totam quodammodo omni momento colligens, ita vt omni momento Deus æternus sit, & ęternùm viuat.

45. Et verò prorsus minus decorè, imò nimis humiliter sentiremus de duratione vita, & beatitudine summa Dei, si non sic totam simul semper viueret æternitatem, sed per consequens plus vno Anno viueret, quàm vno mense, aut hora,

ita vt quam extensionem virtualem beatitudinis, & vitæ in ratione durandi hodie habet, heri non habuisset: sicut enim nefas est dicere plus Deum esse in magno aliquo spatio, quàm in paruo, ita non benè dicitur plus viuere in magno aliquo tempore, quam in breui momento.

46. At vice versa hic est optimus, maximusque conceptus, quem de æternitate, ac duratione Dei habere possimus: sicque constant sibi admodum opportunè differentiæ trium specie durationum; Dei, rerum successiuarum, & permanentium, quod vna est duratio succedentis pars post partem, & continuam dicens varietatem prætereuntis, secunda est duratio succedentis totius ad totum continuam reproductionem, & conseruationem requirens, atque adeo veram dicens extensionem secundum prius, & posterius, & formalem perseuerantiam in esse. Tertia est duratio absolute simultanea inextensa formaliter, atque adeo non tam permanens ac perseuerans, quam superpermanens, & superperseuerans, quatenus sine vlla extensione successionis simul omni successioni secundùm quod aduenit, habet coexistere non tam durans, aut manens,

quàm

quàm indiuisibiliter secundùm ipsum vnum instans æternitatis existens.

47. An potuerint vel totus mundus, vel creaturæ aliquæ esse ab æterno, aliqui firmiter, aliqui probabiliter respondent affirmatiuè; placet sententia negatiua, non solum quatenus est impossibile, quod aliqua res creata duret æternitate, de qua supra, & propria Dei, sed etiam quatenus absolutè nulla creatura ita fieri potuit vnquam, quin inciperet esse.

48. Neque enim possunt participari Creaturæ perfectiones vllæ diuinæ secundùm latitudinem, qua repetiuntur in Deo, vt non potest vlla creatura esse nec summè bona, nec summè sapiens, nec summè potens, vt Deus: & ipsa ratio productionis influentis esse dependens, hoc ipso quod dicit defectibilitatem in eo, quod fit, sic inuoluit, quod fiat ex nihilo præexistente.

49. Quod enim hoc modo dependens est, ita est, vt non, hoc ipso quod fit, æternitatem essendi inuoluat, aut plus durationis dicat, quàm vnius momenti, ita vt, quam præterea durationem inde habere debeat, eam necesse sit, quod accipiat, quod autem hoc ipso, quod est, momento tantum est, essentialiter prius est non æternum, quam æter-

æternum, vnde æternizandum eſt, ſeu infinitandum additione durationis, quod autem additione durationis infinitandum eſt, prius finitum eſt, quàm infinitum, ac proinde prius finitè durat, & incipit durationem, quam ab æterno ſit.

50. Nec ſequitur quod, ſi producitur a Patre verbum Diuinum, ergo poſſint etiam ab æterno produci creaturæ; cum enim illa productio nec ſit ex nihilo, nec dependentis, nec æterna æternitate ſucceſsiua, ſed ſimultaneà, atque adeo non infinitanda per additionem, non habet titulum vnde implicet: vt etiam non implicat dari æternitatem a parte poſt; quia ſicuti repugnat quidem additione infinitari infinitum categorematicum, ita non repugnat infinitari ſyncategorematicum, cuius quidquid eſt, vel fuit, finitum ſemper eſt, & per poſterius infinitatem expectat.

51. Illi autem caſus impoſsibiles: Si Deus eſſet cauſa neceſſaria, & ſi ſol eſſet ab æterno, vtique ab æterno fuiſſet mundus, & lumen: vel nihil probant, ſi enim tunc illa fuiſſent, quæ impoſsibilia ſunt, non implicarent alia impoſsibilia inde ſequentia, cum error in principio fiat decies millies maior in ſequentibus: vel nimis probant, tunc

enim

enim posito, quod Deus esset causa necessaria, iam potuisset esse ab æterno, & statim omnis prorsus motus localis, ac æternitas etiam a parte post; vel dicendum est, quod si illa fuissent ab æterno fuissent quidem etiam ab æterno effectus intenti, sed durantes æternitate simultanea non successiua, quæ consequentia omnia tam impossibilia sunt, quam sunt impossibilia ea vnde sequuntur.

CAPVT III.

De Anima, & Animato in Communi.

52. REctè definitur Anima esse actus corporis Organici potentia vitam habentis, seu id, quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus: est enim anima substantialis vita, principiumque viuendi, quod rursum benè definitur esse actus per se immanenter operatiuus, ad distinctionem tum operantium in alio, quæ, vt sic, non est ratio operandi vitalis, tum operantium quidem in semetipsis; sed per accidens ad obtinendum scilicet aliquid, quo obtento quiescant.

53. Sic definita ratio vitæ conuenit vniuocè omnibus prorſus viuentibus, cũ nullum detur viuens, quod actus, & principium operatiuum non ſit, vel diſtinguatur in ipſo realiter ratio operationis, vitæque actualis ab ipſa ratione principij vitæque potentialis, vel non diſtinguatur. Illud verum eſt, quod vita rerum creatarum in actu ſecundo eſt accidentalis, vt vita in actu primo, ſeu principium viuens, eſt ſubſtantialis.

54. Porro tria ſunt animarum, animatorumque genera, vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis: quæ diuiſio non eſt generis in ſuas ſpecies ſubiectas; ſed totius aggregati in tres claſſes, ſeu gradus ſecundùm perfectionem viuendi. Animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ tum perfectorum, tum imperfectorum animalium, vt ſunt materiales, ſic & ſunt diuiſib les, vt vt poſſint ſtare diu in membris diuiſis, vel non; alioquin dicendæ eſſent inf.rmare ſua corpora more animę rationalis, quæ ſola eſt ſpiritualis, ac indiuiſibilis exiſtens tota in toto, & tota in qualibet parte; vel certè vbi augeretur vel planta, vel brutum, vel vbi decreſceret, deberet anima eorum tranſire de ſubiecto in ſubiectum. Præterquamquòd non eſt vllum indicium eiuſmodi indiuiſibilitatis in materialibus.

55. Quod enim, si feriatur pes dexter etiam brutorum, tota anima sentiat, ergo esse indiuisibilem : falsum primo est, vt dicitur, antecedens : certè enim tum nihil videtur pati pes sinister, vel dorsum. Deinde hoc non est magis verum in brutis perfectioribus, quàm in imperfectioribus, quorum tamen animæ ex communi sententia sunt diuisibiles. Tertiò dicendum est, quòd vltra partem læsam sentit, doletque adhuc sensus communis, non quia anima indiuisibilis sit; sed ex natura potentiarum ipsius, quòd potentiæ internæ sentiant idem, quod exteriores, idemque doleant; vel hoc proueniat ex quadam sympathia ipsarum, vel ex propagatione, aut deportatione locali specierum a sensibus externis ad potentias internas.

56. Non ita informant corpus organicum animæ, vt omnibus, singulisque partibus eius inexistant. Primò enim non inexistunt sanguini, cæterisque humoribus, qui nullum habent indicium vitæ, & sunt potius Alimentum, parsque necessaria viuenti, quàm integralis : deinde non inexistunt in vnguibus, pilis, cornibus, ac rostris, quæ probabilissimè crescunt per extra positionem, imò probabile etiam est ne ossa quidem animari; durior quippe videtur hæc animę domus,

nec

nec apta ijs operationibus, vel instructa ijs organis, quæ solemus deprehendere in animatis, & neque sunt satis similia ijs partibus, quas alioquin certum est animari.

57. Illud verum est, quòd omnes partes viuentis operantes vitaliter informantur anima; neque enim ipsa residet in vna sola corporis parte, puta cerebro, aut corde, operans inde in cæteris: quod admittendum est etiam admissa, vt verè est, anima homogenea: neque enim requiritur, vt diuersa sit hic, aut ibi, pro vt habet diuersas operationes hic, aut ibi diuersis organis exercere; neque incongruum est, quòd pars animæ diuisibilis, quæ in capite est, sit per accidens in capite, & quæ in pede, per accidens sit in pede, sic determinante Deo collocationes singularum partium alicuius totius: cum pars, quæ in pede, non minus habeat operari, quæ fiunt in capite, si ibi inexisteret: cum quo tamen bene stat, quòd eadem pars animæ per se accepta requirere possit diuersas corporis partes, vt constat manifestè de anima rationali, &, vt supra notauimus de forma mixti respectu materiæ sibi subiectæ.

58. Vnica datur anima in vnoquoque supposito animato, & vt est certum in

homine, ſic nullum eſt indicium contrarium in cæteris; neque prius animatur viuens vita plantæ, poſt vita bruti, tum vita hominis, ſed, hoc ipſo quod animatur, recipit animam propriam, qua in poſterum viuat: prauuſque eſſet ordo diſponentis, ſi anima inferior diſponens ad perfectiorem adueniente perfectiore deſtrueretur: neque Ariſtoteles poſuit huiuſmodi ordinem, niſi reſpectu operationum, quæ vtique in animali ſunt prius ſecundùm vegetatiuam, inde ſecundùm ſenſitiuam, vltimò ſecundùm animam rationalem.

59. Sed vltra animam dantur præterea in viuente formæ partiales, ac non vltimæ, ſubordinatæque ipſi animæ, quæ eſt vltimus actus viuentis; neque enim datur forma cadaueracea, vnde poſt mortem, v. g. animalis, caro, venæ, arteriæ, nerui, cæteraque organa prius animata habeant tum illud eſſe vltimum ſubſtantiale carnis, arteriæ, venæ, aliudue huiuſmodi, cum in caſibus innumeris, quibus animal moritur, non ſit reperire vim ſubſtantialem producentem huiuſmodi cadauераceam formam, nec poſſit recurri ad Deum, qui propter exigentiam aliquam eandem producat, quæ nec poteſt exigi a diſpoſitionibus, etiamſi fractis, tamen ordinatis ad oppoſitam for-

formam nempe animam; nec a materia vt sic, quæ est indifferens ad has, vel illas & naturaliter potest stare sine forma substantiali, si vis naturalis illam priuet ea forma, quam habet, non introducendo aliam.

60. Et, si vnica tantùm anima informaret corpus organicum sine formis partialibus, iam animata quælibet vnius speciei v. g. essent eiusdem planè figuræ, temperamenti, valetudinis, imò nunquam naturaliter interirent, aut ægrotarent, aut senescerent, vel certè se se quàm facillimè restituerent, vbi ab extrinseco agente remouerentur: adeo vt ne indigerent quidem vegetatiua vllo alimento, saltem vbi ad iustam ætatem peruenissent: non enim sublatis formis partialibus vlli vsui esse potest alimentum, quod nec conuertitur in substantiam Animæ, nec in substantiam materiæ, nec in accidentia ab ipsa anima reparabilia per se.

61. Etenim, sicut inanimatæ substantiæ vnius speciei, puta aqua, vel aurum, per se sunt vnius formæ extrinsecæ, vniusque temperamenti, totamque suam habent perfectionem, vbi sint extra aleam contrarij potentioris, nec quicquam habeant admixtum imperfectioris substantiæ; imò si quando a contrario patiantur,

se restituunt ad suum perfectum statum nunquam interituta, nisi per violentiam extrinseci agentis, ita homines singuli, v. g. Petrus, & Paulus, & sic de cæteris vnius essent figuræ, coloris, & temperamenti, cum eadem constent specie materia, eademque anima, & per consequens consimilem requirant accidentium combinationem; quam, si quando amitterent, facile repararent remoti maximè a contrario, vnde febricitans de facili conualesceret, imo & iuuenescerent senes, vel non senescerent.

62. Neq; enim contra ista facit, quod animæ, licet eiusdem speciei, tamen differant ab inuicem plusquàm indiuidualiter, vnde posse ergo facere eam diuersitatem in corporibus, quam experientia videmus; falsum enim esse antecedens alio loco dicimus, & si verum esset, tamen nec importaret per se tam differentem exigētiam diuersarum combinationum, alioquin videretur potius differentia specifica: imò non tamen tollitur per hoc, quod diximus fore vnum quemque semper de facili valde sanum, & incolumem, itaut nec haberet senescere, nec debilitari, & vtcunque euincatur distinctas eiusdem speciei animas posse causare diuersitatem eiusmodi notabilem in corporibus; at quomodò vna,

ea-

eademque singularis anima tantam diuersitatem causat in vno, eodemque corpore, quantam experimur pueri, adolescentes, viri, senes, ægri, ac incolumes.

63. Malè autem opponitur, quòd sequerentur etiam ista ex nostra sententia, qui admittentes formas partiales, tamen ponimus eas subordinatas animæ: etenim inde falsa esse sequela ostenditur, quòd non sunt illæ prorsus subordinatæ more accidentium, neque enim sunt absolutè entis ens, sicut accidentia: sed ita subordinatæ sunt, vt sint etiam primum ens in aliquo genere, veræque substantiæ; atque adeo non despoticè prorsus ita sequẽtes animæ ius, & imperium, vt non habeant ipsæ quoque saltem ex parte propriam actionem, vnde secundùm diuersitatem ipsarum ea temperamentorum, operationumque oriatur diuersitas, quam experimur, vt satis manifestum est.

64. Quod attinet ad animatum, pleraque Anatomicis relinquentes illud dicimus esse commune omnibus animatis, quod heterogenea necessariò sint: operationes enim vegetandi, & sentiendi diuersitatem in ipso corpore partium important: mirabilis corporis humani fabrica rege animo digna regia est, cuius

ex contemplatione, vt pote nobis viciniotis obiecti non minus, quàm ex consideratione cælestium excitari nos decet ad cognoscendam diuinam planè summi Architecti sapientiam.

65. Constat hoc partibus primò similaribus, quæ sunt cuticula, cutis, caro, ossa, cartilagines, venæ, arteriæ, nerui, fibræ, ligamenta, tendines, membranæ, glandulæ, medulla, pinguedo, imò capilli, & vngues: quibus adde fluidas sanguinem, bilem, pituitam, melancholiam, lac, humorem spermaticum, spiritusque vitales, & animales. Secundò constat dissimilaribus, quæ sunt partes conflatæ ex pluribus similaribus, musculi, viscera, & sic digiti, manus, pedes, oculi, aliaue huiusmodi instrumenta operationum vitalium.

66. Sed præcipuæ partes sunt cor, cerebrum, & hepar in triplici officina, seu ventre corporis humani constituta pro tribus inter cæteras præcipuis ipsius hominis operationibus, quæ sunt sanguificare, quod fit in hepate, producere spiritus vitales, quod fit in corde, & producere spiritus animales, quod fit in cerebro.

67. An autem, & quæ ex his partibus sint venarum, vel arteriarum, vel neruorum principium, & quæ primò generentur,

tur, imò & quæ primatum absolutè teneant, illud sentiendum videtur: quod si sermo sit de principio effectiuo, nec hepar est principium effectiuum venarum, neque cor venarum, vel arteriarum, aut neruorum, nec cerebrum item est principium effectiuum neruorum; etenim totum corpus organicum perficit, & organizat virtus sementina, vterusque maternus distributis, vt addecet, partibus materiæ opportuno loco; tum quia nouum est, quod in corpore humano vis vegetatiua vnius partis operetur ad vegetandam aliam partem extra se, vt extra se transmittit alimentum abundans: imo sicuti totum corpus & venis, & arterijs, & neruis, alijsque huiusmodi perfectè organizatum est, antequam animetur, ita non habet cor, aut hepar, aut cerebrum, quod eiusmodi partes efformēt, quando animata sint, sine vllo enim fundamento affirmaretur, quod illas efforment, antequam animentur.

68. Si verò sermo sit de principio, quasi ordinis & locali: vnde scilicet primò deriuentur venæ, arteriæ, & nerui, illud certum est neruos a cerebro, & spina dorsali deriuare, arterias a corde: probabile etiam est venas sic deriuari ab hepate, in quo nimirum primò implantatur vena porta, vt ab intestinis ad ipsum

deferat chilum inde mutatum in ſanguinem tranſportandum ad cor; cum enim inde dicendus ſit deriuari præcipuus canalis, vbi eſt maior truncus, vel vbi ſit humor deferendus: cum maior truncus venæ portæ ſit in iecore, & ſanguis deferendus per venam cauam ad cor, & inde ad alias partes fiat in eodem iecore, ergo per conſequens & a iecore deriuari venas in ſenſu explicato dicendum eſt.

69. Generari cor, vel cerebrum, vel hepar, formarique ante reliquas partes aſſerunt non pauci: ſed an hæc ſolicitudo oſtendat non ſolum primatum generationis, ſed etiam perfectionis, & excellentiæ, non ſatis liquet: videtur dicendum eſſe, quod hepar primum ſit titulo neceſſitatis, cum eius operatio ſit formatiua primò neceſſarij alimenti, ex quo cor, & cerebrum habeant operari, cor autem eodem titulo neceſſitatis primum eſt reſpectu cerebri, ſed hepate primum etiam eſt titulo excellentioris operationis, quo titulo primatum abſolutè obtinet cerebrum, vtpote organum optimarum animalis, atque hominis operationum.

70. Quod enim cordi tribuantur cogitationes, & vt dicitur ſecreta cordium, atque paſſiones, quarum & aliquæ tribuuntur hepati, vnde & dicantur ſedes huiuſmodi affectuum, hoc, vel metapho-

phoricum est, propter quandam sympathiam, qua valde in quibusdam affectibus alteratur cor, & fortasse etiam iecur, vt proportionaliter dicitur facies sedes esse verecundiæ, oculi sedes inuidentiæ: vel propterea quod in ijs partibus, quæ certè non sunt præcipua organa cogitandi, vel appetendi, vt oculi, & facies non sunt organa verecundiæ vel inuidentiæ, attamen emicant notabiles eiusmodi cogitationum, & affectionum effectus.

71. Cæterum luce clarius est, quod, esto fortasse danda sit rudis aliqua cognitio, & affectus ipsi cordi, vel hepati; attamen vera, & vniuersalis sedes cognoscendi, & appetendi est cerebrum, sensusque ibi interni, vt cæteri sensus externi sunt sedes particulares, vt enim contingit ipsos cognoscere proprium obiectum, sic decet per consequens, quod habeant etiam circa illud proprium appetitum.



CAPVT IV.

De Anima Vegetatiua.

72. ANima vegetatiua est principium vitale cõseruatiuum, & augmentatiuum tum ipsius viuentis, tum suæ speciei: versatur ergo circa alimentum, quòd licet habeat vnico etiam modo sumi, tamen benè distinguitur in cibum, & potum, pro vt contingit aliquando, quòd viuens egeat humido, ac frigido, proindeque sitiat, absque eo quod egeat sicco, & calido, quo famescat.

73. Tàm augmentatio, quàm nutritio acceptæ realiter sunt motus ad substantiam; sed formaliter nutritio mutatio est ad substantiam, qua viuens conuertit alimentum in se, hoc est in corpus, & animam, si de viuentibus materialibus sermo sit; augmentatio verò formaliter est motus ad quantitatem, hoc est ad maiorem formaliter substantiam, qua animal crescit, vel absolutè adolescat, vel maius sit post nutritionem vt sic, quàm esset antecedenter ad nutritionem.

74. Huiusmodi nutritionis, & augmentationis ordo non tollit, quo minùs viuens, si maximè sermo sit de hominibus,

bus, maneat ſucceſſu viuendi idem, quod erat, cum primùm genitum eſt, imò, vt bene Philoſophus, neceſſe eſt, quod ſaluetur, & maneat, quod augetur. Et nutritione, atque augmentatione conſeruari corpus, quodcunque alitur, ipſa ratio nutritionis, & augmentationis vt ſic natura ſua requirit.

75. Illud verum eſt procul dubio non perſeuerare idem ſine vlla prorſus mutatione ſubſtantiali, vt ſaxum aliquod verbi gratia, vel ſol: manifeſtum enim eſt cum ipſa nutritione, & augmentatione venire mutationem non leuem; ſed in latiore aliquo ſenſu accipienda hæc eſſe; ſtrictius tamen, quàm dicantur permanere eadem bruta, vel plantæ quibus fit acceſſio, & etiam deperditio ſecũdùm corpus ſimul, & animam.

76. Et primò permanet idem homo ſucceſſu viuendi præter titulum manentis eiuſdem animæ, titulo moralis exiſtimationis: etenim additio, & deperditio, quæ fiunt adeo ſenſim ſine ſenſu, faciunt vt iure parum mutationis pro nihilo reputetur, maximè ſucceſſiuè rem æſtimanti, deinde loquendo Phyſicè permanet idem non ratione partium primigeniarum fabricatarum ſcilicet in prima fœtus organizatione, quæ, non eſt vlla ſolida ratio, quod ſint cæteris ſolidiores;

ſed

sed quia per se loquendo, quòd nutritur, & augetur, nihil deperdit substantiæ suæ, quam ab initio accepit; vnde per consequens ergo necesse est, permaneat idem, quod fuit ab initio, esto fiat maior.

77. Illaque ratio in contrarium, quod successu viuendi multa immutentur, ac deperdantur viuentibus, non est indistinctè admittenda: per se enim falsa est tum in animalibus adolescẽtibus, tum in grandæuis, cum his nihil per se destruatur, & ratio vegetantis dicat quidem conuersionem alimenti, non verò destructionem partium ipsius viuentis; imò loquendo etiam de senibus decrescentibus, & de eo, quod potest contingere per ægritudinem tum iuuenibus, tum etiam partibus primigeniјs recens organizati, si quid deperditur, certè non est tanti, quod possit tollere veram, ac Physicam rationem eiusdem.

78. Etenim admissa etiam, quam maximè longa, & tabescente ægritudine vel pueri, vel etiam adulti, nunquam tamen ita viuens consumitur, vt deperdat plusquam vbertatem, & efflorescentiam quandam partium suarum, perseuerantibus tamen iјsdem tum ossibus, tum venis, arterijs, & neruis, & ligamentis, & visceribus, & glandulis, & cartilaginibus, imo & solidiore aliqua carnis

por-

portione, quæ cum anima iam totum animal ſunt.

79. Verè ergo, cum iſta perſeuerent eadem, quæ à prima origine abſolutè fuerunt, nec vnquam, nec per ſe, nec per accidens abſolutè tollantur, non modò moraliter, ſed etiam idem Phyſicè animal, èſto fiat maius, perſeuerat ſucceſſu viuendi, quod fuit ab initio generationis ſuæ.

80. Contingit in nutritione, & augmentatione rarefactio, & condenſatio, propterea quòd conuerſo alimento, quod erat in poris in ſubſtantiam viuentis oportet, vt noui pori aperiantur ad ſuſcipiendum nouum alimentum, quæ apertio fieri non poteſt ſine rarefactione aliquarum partium, & condenſatione aliarum. Vniuerſaliter autem loquendo non conſiſtit rarefactio, vel condenſatio formaliter in acquiſitione, vel deperditione quantitatis.

81. Sæpe enim aliqua rarefiunt, & denſantur mera vi motus localis, qui certè non videtur productiuus vllius entitatis permanentis, præterquam quod, ſi producitur noua quantitas, verbi gratia palmaris, vtique non producitur extra ſubiectum, quod rarefit, ergo penetratur cum vetere quantitate v. g. item palmaris ſubiecti: quam ad penetrationem

vitandam hæc sententia excogitata est; & vel inexistat in ipsa rarefactione toti subiecto, vel parti, absurdè ponitur inexistere; si enim toti, ergo non rarefit, sed relinquit adhuc tantùm palmare, si verò parti, ergo quantitas altera præcedens transiuit de subiecto in subiectum, & existit tum hæc, tum de nouo quantitas in minori, quam palmari subiecto: neq; enim dici potest tota precedens quantitas deperdi, tota altera de nouo gigni: idem enim agens non destruit vnam formam ad faciendam alteram eiusdem speciei.

82. Non item consistit rarefactio, vel condensatio in mera relatione maioritatis, vel minoritatis; motus enim quidam est rarefactio, & condensatio; at non datur motus ad relationem; minus in mera apertione, vel occlusione pororum; rarefit enim & aer in quotidiano motu locali, & sæpe ad impediendum vacuum, in quo nulla pororum apertio dari potest, nisi admittantur pori esse vacui; & rarefiunt aqua, aliique humores, quos possumus quidem dicere habere poros; sed non possumus profecto vniuersaliter saltem probare.

83. Quæ ratio probat etiam non posse rarefactionem, vel densationem consistere in intrusione, vel extrusione corpusculorum. Sæpe enim contingit rarefieri

aliqua

aliqua, in quæ corpuscula non introducas, vt quando ex violenta explosione bombardæ rarefit aer, cum introduci non possit tam citò, quantus est sufficiens ad implendum sine rarefactione vacuum; eo enim in casu minus possunt introduci alia corpuscula, quòd similiter dicendum est fieri non posse in rarefactione humorum vniuersaliter saltem.

84. Quod autem tota rarefactio, vel condensatio formaliter qualitate aliqua habeatur, res item est valdè difficilis; ex vna enim parte ratio qualitatis, vt sic, non importat maiorem molem, vel minorem; vnde, si nihil aliud addas, quantumuis augeas, vel minuas qualitatem, non auges, vel minuis extensionem; est etiam contra ipsum conceptum rarefactionis, quæ item malè ponitur consistere in inflatione aliqua, vel detumescentia punctorum: vel enim ista tumescunt plena aliquo corpore, vel tumescunt vacua, & redimus ad difficultates insuperabiles; vel inflantur extensione virtuali more spirituum, & præterquamquod tollitur omnis conceptus rarefactionis, & condensationis redacta iam re ad extensionem, & restrictionem spiritualem, aut virtualem; pessimè datur corporibus quòd existant tota in toto, & tota in qualibet parte.

85. Vt

85. Vt ergo rectè definitur ex Aristotele densum esse, quod sub paruis dimensionibus multum habet materiæ, & contra rarum, quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ; vel densum esse, cuius partes sibi ipsis propinquæ sint, rarum cuius partes distent a se inuicem, in hoc dicendum est consistere formaliter rarefactionem, quod sit maior ab inuicem digessio partium potentialium sese ponentium aliarum extra alias, vt condensatio erit contra maior partium earumdem intreitas.

86. Et verò ex vna parte dari posse quantum modò maiorem, modò minorem dicens partium suarum intreitatem, manifestum est consideranti supernaturalem dari posse corporum penetrationem; rursumque ex alia parte non est minus certum, quod natiua partium extreitas aliquorum corporum non est ita viribus naturalibus inuincibilis, vt nulla prorsus ope aliquod corpus habere possit suas partes violenter saltem magis, vel minus ad inuicem penetratas.

87. Quod si, vt quantitas secundùm optimos auctores consistit in naturali partium extreitate, sic admittitur, quod certè admittendum est, eidem ergo quanto posse extrahi magis, minusque partes ipsius, iam non est vlla difficultas con-

constituendi in hoc ipsam rarefactionem, & condensationem, eo vel maximè, quod his saluatur communissimus, notissimusque eius conceptus: vix enim intelligibile est, quomodò possit idem corpus sine replicatione occupare locum modò minorem, modò maiorem, nisi per hanc partium suarum salua continuatione maiorem, vel minorem extreitatem.

88. Neque rem hanc difficultat, quod admissa penetratione corporum iam de medio tollimus notissimam quantitatis proprietatem, nempe impenetrationem: quid enim erit aiunt miraculi, quod Christus Dominus clauso emicuerit e sepulchro, clausoque, tanquam sol procedens è thalamo, egressus sit ex vtero Virgineæ Matris? etenim impenetrabilitas est quidem euidens, quo ad aliquid, at non est euidens, quo adhoc, quod scilicet nullo pacto prorsus, nullaque vi naturali vlla corporum penetratio admitti possit.

89. Multò minùs admittenda est sequela, diuidi ergo in rarefactione partes continui, quasi impossibile sit non diuidi ea, quæ discedunt, ac distrahuntur ad inuicem: dicendum enim est non sequi diuisionem, vbi, quæ discedunt ab inuicem, seruant mediatam continuationem cum alijs modo quidem nostræ ima-

imaginationi imperceptibili, sed quem tamen ratio sufficienter clamans optimo iure persuadeat.

CAPVT V.

De Anima Sensitiua.

90. VT rudes admodum sunt cognitiones sensibiles, ita difficile est politiore intellectione describere, quæ huc spectant tam incerta, quid sint, quàm sunt nobis certa, quòd sint. Anima sensitiua supra vegetatiuam importat sensationem, & appetitum, & motum localem progressiuum, vel saltem appetitiuum, quo mouentur etiam plantanimalia: esto videatur dicendum dari posse animal, quòd nihil localiter motu appetitiuo moueretur, quòd tamen nobis non esset cognoscibile, an foret animal.

91. Quod attinet ad sensationem, est hæc mera expressio obiecti nihil circa ipsum iudicans, comparans, componens, aut diuidens, pro vt causatur ab obiecto se ipso afficiente potentiam sensitiuam, & concurrente efficienter mediatè, per speciem scilicet impressam, ad ipsam sensationem: vnde ita est actus potentiæ sentientis obiectum, vt simul sit passio ab

eo

eodem proindeque benè dicuntur sensus pati ab obiectis, quòd propriè, & vniuersaliter de intellectu minus dici potest.

92. Et per hoc differt ipsa sẽsatio a prima intellectus operatione, quæ, etiamsi mera sit illa quoque obiecti expressio, non componens, neque diuidens; tamen non est passio ab obiecto; Erigente enim sese anima rationali ad meliorem ordinem cognitionis supra sensationem, formam spiritualem se ipsa efficit idem melius intellectu cognoscitura, quod sensu pingui tantum minerua cognouit.

93. Videntur posse dari tum alij specie sensus materiales, tum alia specie sensibilia, vel in ordine ad nouos sensus, vel etiam in ordine ad eos, qui de facto sunt, neque enim est vlla repugnantia; vt etiam videtur dicendum posse dari sensus spirituales, hoc est potentias merè apprehensiuas secundùm passionem ab obiecto spirituali.

94. Quod non possint dari sensus materiales perceptiui rerum spiritualium, aiunt optimi Auctores, tum quia non est proportio inter eiusmodi potentiam, & obiectum; tum quia, si sensus materialis cognosceret spiritualia, operaretur spiritualiter vnde & iudicaret, & discurreret: & certè placet sententia; sed prima ratio

debet

debet probare, cur species spirituales non possint imprimi sensui materiali: cum spiritualia possint esse actus rei materialis, secunda verò non habet consequentiam; ex eo enim, quòd ponatur sensus ruditer attingere spiritualia, non sequitur, quòd ergo possit eadem etiam perfectiore operatione discursiuè cognoscere.

95. Quinq; sensus externi distinguuntur plurimùm obiecto, & sede, & organo corporeo, nisi quòd tactus alijs etiam aliorum sensuum organis est communis. Visus excellentia præcedit omnes, cuius obiectum est lumen, & color; definitur autem communiter lumen: actus perspicui, qua perspicuum, seu præsentia luminis in perspicuo, seu, quod idem est, intentionalis imago ac species corporis luminosi nata recipi in perspicuo, & terminari ab opaco; & S. Thomas prima parte quæst. 67. art. 1. ait lumen esse id, quod facit manifestationem in sensu visus.

96. Magis placet, quod habetur quarto Esdræ capite 6. numero 20. dixisti de thesauris tuis proferri lumen, quo appareret opus tuum; vnde lumen esse speciem intentionalem non solum luminosi manifestatiuam; sed etiam sui (nempe etiam lux ipsa videtur) & demum aliarum rerum, vt mox dicemus de natura colorum.

97. Lu-

97. Lumen loquendo de eo, quod propagatur per medium, non eſt corpus, vt nec habet vllum motum proprium, nec eſt ſubſtantia vlla media inter corpoream, & ſpiritualem; ſed eſt qualitas materialis, propagaturque per medium non euibratione, neque per radios, vt dicitur, viſuales: hæc enim ratio propagationis vel importaret creationem, vel tranſitum qualitatis de ſubiecto in ſubiectum: imò & in remoto nimium diuaricarentur radij euibrati, adeo vt valdè heterogeneè illuminarentur partes medij æquè proximæ, vel remotæ luminoſo: & non ex omni parte, vel puncto medij poſſet oculus intueri ipſum luminoſum.

98. Sed propagatur lumen more cæterarum qualitatum per omne ſpatium ſphæræ vniformiter difformiter; nec contra iſta ſunt demonſtrationes opticæ, quæ vt ſupponunt radios viſuales tum directos, tum reflexos, tum refractos, quia verè a quocunque puncto imaginabili, & conceptibili in medio illuminato eſt concipere longitudines luminoſas vel in directum, vel reflexas, vel refractas, vbi reflexio fiat, vel refractio, ita nec illas probât, nec poſſunt opticè probare, quod dētur realiter diſtinctæ, ac ſatis habent pro intento ſuo, quod verè conceptibiles ſint.

99. Quod

99. Quod autem reflexione, vel rarefactione hic, aut ibi magis intendantur, vel remittantur lumina propagata, seu, vt dicitur, dirigantur, & coniungantur in vnum punctum, vel diuaricentur, & disgregentur, mirum quidem est; sed peculiaris ratio medij, & figuræ eius hoc potest præstare, vt propaget secundùm alium potius, & alium locum, vt supra de obstaculo reflectente dicebamus; neque rursum ideo dicenda sunt lumina, adde etiam species visibiles, speciesque soni euibratione propagari, quia non confunduntur in medio; satis enim hanc confusionem prohibet distinctio actualis horum, quæ hoc ipso, quod semel distincta, & a distincto principio prodeunt, vt imagines eius, tamen secundùm eam directionem repræsentabilis, vtique non habent alijs immisceri, vt non confunduntur qualitates cuiuscunque subiecti, quæ suam seruant in ipso distinctionem.

100. An dentur colores ante lumen, quæstio nominis est: si enim nomine coloris accipitur qualitas distincta, & diuersa a lumine, completa actu in ratione visibilis, patet huiusmodi qualitatem non dari ante lumen: sed esse vel tolli, secundùm quod ponitur, vel tollitur lumen, quem ad sensum bene canitur: nox abstulit

ſtulit atra colorem, & rebus iam color redit vultu nitentis ſideris. Si autem nomine coloris venit qualitas ſecunda incompleta quidem in eſſe viſibili; ſed quam tamen lumen adueniens compleat, ita vt ſtante eodem lumine diuerſum viſibile appareat, album ſcilicet, nigrum, viride, & ſi quæ huiuſmodi, manifeſtum eſt dari colores antecedenter ad lumen.

101. Qui bene deſcribuntur eſſe qualitates ſecundæ natæ immutare perſpicuum, potentiamque viſiuam, vbi tamen lumine tanquam vltimo actu compleantur. Porro tam colores, quàm lumen non videntur per hoc, quod oculus tranſmittat ſpecies ad obiecta, ſed per hoc, quod ipſa obiecta tranſmittant ſpecies ad oculum complendum, & determinandum ad hoc, aut illud videndum ab ipſo obiecto: quod & probant efficaces experientiæ tum ſpecierum reflexarum à ſpeculo, quo non ipſæ ſpecies; ſed res oppoſitæ ſpeculo videntur, tum ſpecierum viſibilium vt quod in aliquo obſtaculo ipſas terminante.

102. Poſt oculos maximi faciendus eſt auditus, nempe ſenſus diſciplinæ, & maximum inter homines vinculum ſocietatis: huius obiectum eſt ſonus, quem percuſſiones, & colliſiones, ſeu ſeparationes

tiones etiam corporum aere cooperante generant; sonus qualitas est in ipsis corporibus efficientibus sonum, vel in proximo aere recepta: an autem ipse sonus propagetur, an species intentionalis eius videtur dubium, vtcunque dicatur, quòd auditur sonus est: & quoniam propagatur, licet more reliquarum qualitatum, tamen cum aliqua dependentia a motu locali, hinc est, quod sonus auditur aliquantò posteriùs, quàm quo tempore factus est.

103. Variè sentitur sonus pro varietate medij, proque distantia sonori, & tardius, quo ex remotiore loco. Vnde fit, quod sonus, qui per repercussionem auditur, vt contingit in echo, audiatur posterius, imò & multiplicius, pro vt multiplici, & successiua repercussione reflectitur: non videtur sonus habere propriam differentiam, nisi vel materialem ratione corporum, vnde maior, & plenior, vel minor, & exilior est, vel secundùm mensuram, vnde grauior, acutior, intensior, aut remissior est.

104. Olfactum, gustum, & tactum immutant odores, sapores, & qualitates inde a nobis dictæ tangibiles: odorosa propagant per medium tum spiritus substantiales, tùm qualitates odorosas, quibus producuntur species intentionales

odo-

odoris in ſenſorio ipſo olfactus: obiecta vero tactus, & guſtus requirunt contiguitatem, & viciniam ad ſenſum; ſed tamen dicenda ſunt etiam ipſa producere in ſenſorijs ſuis ſpecies intentionales ſui. Quod autem ſenſibile ſupra ſenſorium immediatè poſitum vniuerſaliter non faciat ſenſationem, gratis dicitur, & ad ſummum concedi poteſt aliquando, quod non faciat ſenſationem pacificam, & quietè diiudicatiuam obiecti.

105. Illud verum eſt, quod præ vehementia, vel exceſſu ſenſibilis contingit aliquando lædi potentiam, puta præ exceſſu viſibilis vſque ad orbitatem, præ exceſſu audibilis vſque ad ſurditatem; ſed contingunt iſta per accidens: etenim ſpecies intentionales non ſunt alteratiuæ cum ordine ad deſtructionem, maximè reſpectu eius potentiæ, cui ſunt connaturales. Vnde cauſa huiuſmodi læſionis referenda eſt vel in qualitates actiuas ſimul afficientes potentiam, puta nimium calorem lædentem oculos, aut guſtum, aut tactum, dum ſentiunt, vel vniuerſalius referenda eſt in conſumptionem ſpirituum vitalium, aut animalium deſeruientium ſenſationibus, vt enim ſtudendo fatigamur, lædimurque cerebro, & capite dolemus propter dictam ſpirituum deperitionem, ſic habet contin-

gere, quod iisdem titulis nimio auditu offendamur, aut visu.

106. Potentiæ sensitiuæ internæ sunt quatuor; Sensus communis, Imaginatiua, Phantasia, Memoria; vt autem potentiæ sensitiuæ externæ distinguuntur ab inuicem tum ratione diuersi organi, tum fortasse ratione diuersi modi, quo ab obiecto afficiuntur: sic illud dicendum est de sensitiuis internis, quod aliquæ facilè distinguuntur, tum ratione subiecti, vt memoria a cæteris, cum ipsa probabiliter resideat in posteriore cerebri parte, reliquæ in anteriore, omnes verò distinguuntur non ratione diuersi obiecti, sed pro diuerso modo, quo tendunt in obiectum, seu pro diuerso munere, quod pro negotio cognoscendi præstant.

107. Etenim sensus communis est, qui primò obiecta percipit sensuum externorum: decet enim vnum esse organum, principiumque cognoscitiuum, vnde fons omnis appetendi, ac loco mouendi, quo bruta, & cognoscere, & appetere, & ad motum incitari videntur etiam obiecto sensibus externis non præsente. Imaginatiua est vis fixius, firmiusque cognoscendi obiecta, qua pollent ij magis, minusue, qui magis, minusue habent perseuerare in eadem cognitione, absque eo quod tu-

tumultuariè distrahantur in multa.

108. Phantasia facultas est, quæ cognitione vnit obiecta diuisim sensata quam dari in brutis, vt nulla ex ipsis habita experientia probamus, sic tamen probabiliter dicimus, cum, & certum sit dari in nobis, & non sapiat operationem se se tollentem supra ordinem sensationum. Memoria est conseruatiua specierum sensibilium, quo adhuc tempore actu non sentiuntur obiecta, & excitatiua earumdem, quo sensus communis repetat cognitionem obiectorum antea sensatorum, quæ est etiam ratio euidentior probans dari necessariò sensum communem.

109. Post sensitiuas potentias sequitur appetitus sensitiuus, & est vis illa animæ, qua placent, vel displicent, quæ sensu cognita sunt, necessarius conseruationi animalis: vt enim nisi sensitiuè cognosceret, ignoraret, quæ sibi vtilia, & necessaria sunt, & quæ contra noxia, & incommoda, ita nisi haberet appetere, nec proficua prosequeretur, nec ritè fugeret a contrarijs. Residere verò appetitus principaliter in cerebro animalis, sed tamen dispersus etiam esse videtur, rudiore saltem ex parte, per ipsa organa sensuum, vt tum experiētia duce manifestum, tum certa consequentia consentaneum est, quòd

dum est, & ratio ipsa naturalis ostendit, cum enim constituat vnum per se cum corpore organico (more, quo ad hoc, cæterarum animarum) formam eius substantialem esse necesse est, cumque intellectiua, & libera sit, oportet rationem transcendat corporei, quod necessariò ad vnum determinatum est, & dicit illa quidem extensionem virtualem sui limitatam; sed tamen capacitatem immensam, ac vastam, quam importat ipsa ratio intelligendi, & volendi vsque ad infinita se efferens, ac proinde in solo spiritu nata reperiri.

112. Eam non producit causa secunda generans hominem; sed creat Deus in ipso corpore, vbi perfectè organizatum est. Vnica est in singulis hominibus: quod enim pugnantibus inter se sæpe litigemus affectibus, vel secundùm portionem superiorem, & inferiorem, vel etiam secundùm portionem superiorem, non est hoc duabus animabus tribuendum; sed arbitrio libertatis nostræ, quæ hoc ipso, quod illam duo contraria bona solicitent, necessariò contrarietatem eorum suam pugnam experitur. Qualem pugnam sentiunt etiam Dæmones singillatim, & sensere probabiliter Angeli omnes magis, minusue, quo tempore viatores vario motu ad peccandum, vel ad debitum

obsequium Deo præstandum hinc inde bellicis propè studijs incitati sunt.

113. Vt vt anima rationalis grandem sanè perfectionem dicat, tamen diuinæ particulam auræ non esse ostendit tum infinita Dei perfectio, bonitas, innocentia, indiuisibilitas; tum varia animæ imperfectio, peccandique facilitas: illud verum est ipsam natura sua id habere præcipui inter reliquas naturales formas, & spirituales, quod est naturaliter immortalis, quatenus nulla creatorum agentium virtus est, nulla violentia, quæ possit animam rationalem de medio tollere, aut destructam in aliam substantiam conuertere, & semel productam efficere, quòd non sit.

114. Esto enim prę connexione, quam habet cum suo corpore pendeat a dispositionibus eius, quo ad esse in ipso, vel non; vnde fractis illis atque sublatis teneatur, etiam naturaliter inuita, discedere; attamen non pendet a corpore, quo ad sui esse simpliciter, vnde migrat quidem ab ipso propria migratione locali, sed non destruitur, aut perit, cum non ideo perdat vllam causalitatem, quam haberet corpus ad seipsam, tantùmque illa indigeat corpore, vt cum ipso componat, & operetur aliqua.

115. Præter authoritatem non solùm om-

omnium fere sæculorum, sapientumque consensu traditam, verùm etiam certissimæ, catholicæque Religionis definitione firmatam, euidens etiam naturalis ratio hanc immortalitatem animæ rationalis conuincit, adeo vt, qui contra sentiant, simul & impiè sentire, quod impudenter contendunt, & prauè philosophari, quod nescio quo fato nollent, dicendi sunt.

116. Et verò, si operari sequitur ad inesse, cum anima ratiocinationibus, & volitionibus suis operetur independenter à corpore, & esse ipsam independenter à corpore fateri necesse est; neque tollit ista, quod dependeat ab ipso in sensationibus, appetitionibusque sensitiuis, in operationibus pertinentibus ad vegetationem, & motum localem, imò etiam in aliquibus rationalibus, quoad ministeria corporea, quæ requirit; etenim ita ista contingunt, vt se tamen ipsa anima euehat longe supra ministeria corporea; negotiationesque suas intelligendi, & liberè appetendi, vt vt exerceat ministrantibus corporis, quæ ipsa trahit ad operationes suas, tamen ita exerceat, vt longè transcendat sphæram actiuitatis sensitionis, & appetitionis corporeæ, quæ ad vnum tantum, & quidem rude admodum suapte natura determinatur.

117. Præterea ipsa animæ vastitas nullo vnquam termino, aut loco definita, corporea limitationis sphæra se non detineri demonstrat, ipsique naturales instinctus, quibus vltra omne tempus habet vota sua intendere, quibus & moriens naturaliter gaudet, & vitam præsentem honestè in gratiam virtuosæ operationis contemnit, ista inquam ostendunt, quòd ergo viuat anima immortalitatem, quam appetit, quamque naturaliter sperat, & cuius gratia, quò sapientior est, eò intensius operatur.

118. Praxis etiam rationabilis, rebusq; naturaliter conueniens, qua Deus non solum physicè, sed etiam moraliter vniuersam totius orbis rempublicam, politiamque gubernet, quaque non sua cuique pro meritorum dignitate præmia, vel pœnas huius intra spatia mortalitatis definit, atque irrogat, illud pari passu suadet, iure ergo naturali superstitem esse animam rationalē temporariæ ipsius homini morti, quòd si superstes est, & non perit naturaliter, hoc ipso quod extra corpus egreditur, ergo nec est vlla virtus naturalis, quæ in simplicem iam, incompositamque substantiam actionē destructiuam intendat; vnde, quæ semel habet extra corpus substantialiter incolumis existere, per consequens habet ergo semper existere.

Ne-

119. Neque adhæc dici poteſt, eſſe ergo animam formam aſſiſtentem, non informantem, quæ ſcilicet ſupra dignitatem ſui corporis exiſtat malè eidem proportionata, quippe quæ nec creſcat creſcente corpore, nec vulnerato, aut diuiſo vulneretur, aut diuidatur: Falſæ enim ſunt illationes iſtæ, quia poſſunt venire in proportionatam compoſitionem vnius etiam, quæ ſpecie diſtantiſſima ſunt; & conuenientia animæ cum corpore primùm in hoc, quod idem audiant, videant, ſimulque vel omnes, vel quam plurimas operationes naturales exerceant, & rurſum in hoc, quod licet anima intelligat, amet ſupra corpoream ſphæram, non tamen ſine corporis miniſterio, aliiſque in corpore conſequentibus affectionibus ſatis monſtrat informationem animæ rationalis eſſe, non aſſiſtentiam.

120. Quod autem habeatur in ſcripturis vnum eſſe interitum hominum, & iumentorum, & quod ex nihilo nati ſumus, & poſt erimus tanquam non fuerimus benè explicatur, quo ad iſta corporea, quibus fruimur, ad quæ contemnenda inuitamur, eo quod illis non ſimus fruituri pluſquam reliqua animalia, & quod aliquando dicantur interfici animæ, illud figuratè ſumitur pro

ipso toto composito, quod est homo.

121. Quod attinet ad primam animæ rationalis potentiam, quæ est intellectus, communis doctrina distinguit in duplicem, agentem scilicet, & passibilem; & intellectum quidem agentem aiunt esse vim animæ se se conuertentis ad phantasmata, species scilicet materiales, quibus sensitiuè obiectum aliquod perceptum sit, eaque speculantis, & illustrantis, & spiritualizantis abstracta seu producta ex ipsis specie intelligibili, ac spirituali; Intellectum verò passibilem esse facultatem ipsam receptiuam huiusmodi specierum spiritualium, quæ inde dicuntur impressæ, quòd primò imprimantur intellectui, ipsum porro his adiutum iam intelligere, hoc est speciem expressam intellectualem producere.

122. Verùm, vt crediderim, quod ista valde allegorica apud sapientissimam antiquitatem habuerint bonum sensum, ita breuiùs, & clariùs arbitror explicari, si absque tam multis intellectuum distinctionibus, ac muneribus hunc statuamus ordinem intelligendi: quod vbi sensu externo obiectum aliquod perceptum sit, illud etiam sentiamus statim internis sensibus, vel quia motu locali spirituum animalium species sensibiles de-

deferantur ab externis sensibus ad internos, quod prorsus non crediderim, vel quia propagentur eæ species per organa, & media opportuna ab externis sensibus ad internos, quomodo aliæ qualitates, ipsæque species propagantur ab obiectis per sphæram actiuitatis eorum, vbi in apta media incidant, vel præ sympathia vnius partis animæ (loquendo de materialibus) cum altera, vnde fiat, quod facile moueatur vna pars altera mota, vt contingit in aquis, alijsue corporibus sic moueri partes a partibus: vel demum, si sermo sit de anima rationali, quia illa est indiuisibiliter eadem in toto corpore, proptereaque, quod in vna parte corporis percepit, benè ipsa eadem, meliore in organo potest vi sua tum sensitiua, tum intellectiua magis vsque, & magis intensis, ac repetitis cognitionibus intelligere.

123. Etenim hæc anima tum præ libertate sua, tum præ sua naturali, vt ita dicam, progressiua operandi excellentia non est huiusmodi causa, quæ operetur circa sua obiecta statim, quantùm potest; Sed hoc præstat successu cognoscendi, vbi intensius se se applicet, & varijs progressionibus, & comparatio-

tionibus, se exerceat: bene ergo potest absque vlla hinc inde delatione specierum, absque vlla propriè sic dicta speculatione, vel illustratione, & spiritualizatione phantasmatum, absque eo quod ad illa conuertatur: bene inquam potest, quod sensu, & phantasmate præcognouit, directè meliore virtute, intentione, attentione apprehendere, cognoscere, ac quasi versare, vel primò formet obiecti speciem impressam spiritualem, simplicem, & correspondentem apprehensioni, atque inde iudicio, & discursui, vel non formet; sed expressam tantum, quæ postmodum, vt pote residens in memoria, vicem, & munus speciei impressæ sortiatur.

124. Obiectum intellectus nostri amplectitur naturaliter tum corporea, & sensibilia, tum spiritualia, & insensilia, quantum ex per se primo sensatis progressione cognoscendi comparatiua, & discursiua possumus intelligendo procedere: vnde & de Deo ipso plurima, licet abstractiuè, & valdè impare intellectione percipimus; loquendo autem de cognitione supernaturali, terminum illa non habet, cum possit Deus ostendere finitè in infinitum plura, & perfectiora.

125. An

125. An autem in intellectione admittendum sit & verbum mentis, & proportionaliter dictio verbi: respondetur affirmatiuè, ita vt verbum mentis sit ipsa expressa cognitio, & repræsentatio obiecti, vel prima, vel secunda, vel tertia operatione cogniti, dictio autem sit ipsa huius verbi productio: & verbum quidem mentis intransitiuè entitas realis est à potentia cognoscente distincta, vel verum sit verbum mentis vel falsum: dictio verò verbi est ipsa actio productiua, quæ realiter ab ipsa intellectus virtute actiua non distinguitur, vt supra de omni actione in genere iam docuimus.

126. Intellectum excipit memoria rationalis facultas probabiliter diuersa secundùm organum ab intellectu; sed certè diuersa secundùm operationem, quatenus mirum in modum est receptiua, & retentiua specierum intellectus dum nihil intelligimus, & rursum excitatiua earumdem, vel casu, vel per factum intelligendi ordinem, vel etiam secundùm voluntatis imperium, & naturalem conatum: vel istas species recipiat ipsa propagatas localiter secundùm virtutem organorum, vel propagatas causaliter more cæterarum pro-

paga-

pagationum: vel illas fabricet ad similitudinem specierum, quibus intellectus operatur, vel easdem numero ipsa recipiat iam non amplius habituras titulum; ac munus verbi, aut speciei expressæ, sed habituras munus impressæ.

127. Voluntas, appetitus scilicet animæ rationalis, potentia libera, seu libertas est: quod est esse potentiam, quæ instructa omnibus sibi debitis requisitis, vel adminiculis ad operandum, & appetendum, sicque constituta in actu primo proximo, ad huc tamen potest operari, & non operari: hoc est appetere, vel non appetere; imò etiam operari oppositum, velle scilicet, & nolle: quod est esse liberam libertate contrarietatis, & simul libertate contradictionis; seu non minus quo ad exercitium, quàm quo ad specificationem.

128. Quod ita intelligendum est, non quasi omnis appetendi actus sit formaliter liber, etenim appetitus eius sensitiuus hoc est correspondens potentijs sensitiuis internis, vel externis, vt sic, si nihil aliud adsit, quo habemus sensibilia non rarò appetere, vtique appetitus necessarius est, & non liber: imo

sæpe

ſæpe contingit, quòd neceſſarius ſit appetitus rationalis, & intellectiuus, vbi vel erga inſenſilia, vel erga ſenſilia, ſed intellectualiter cognita fertur, anima interim aut prorſus nihil intelligente, aut minus aduertente alia bona, quorum varietate propoſitam habeat materiam, circa quam ſe ſe electio libertatis exerceat.

129. Etenim, cum appetitus omnis natura ſua feratur erga quodcumque ſibi bonum, hoc ipſo, quod obijciatur propter proportionem inter potentiam, & obiectum, qua data actus habet ſequi, vtique nullus actus appetendi liber eſſe poteſt, vbi vnico tantùm bono moueatur: ſed neceſſariò ad illud vnicum fertur, cum & propoſitum ſit, hoc eſt ſit quodammodo in ſphæra actiuæ vitalitatis animæ (vita autem ſemper, ſi poteſt, operatiua eſt) neque in dato caſu habeat vllum motiuum in oppoſitum, cuius in gratiam, aut ſuſpendat actum, aut ad aliud bonum conuertatur.

130. Et vero ita potens eſt ſui libertas voluntatis humanæ, vt vbi plura bona propoſita ſint maiora, vel minora, vel æqualia, vtcunque etiam ea examinet, & comparet ad inuicem; tamen

tamen possit etiam ad quodlibet ex bonis propositis ferri, & quodlibet ex ijsdem omittere. Adeo vt licet ad maius, vel melius magis naturaliter inclinetur; tamen possit etiam sciens, & volens anteferre minus, & imperfectius: vnde reddi ratio non possit (nisi secundum congruentiam quandam) ex natura bonorum, vel proponentis cognitionis, cur hoc potius, quam illud amet atque eligat, cum sic ipsa voluerit, iusserit, fueritque pro ratione voluntas.


131. Præter actus voluntatis formaliter liberos habemus alia quoque liberè operari alijs potentijs: liberè enim intelligimus, liberè mouemur localiter; Sed sunt isti actus liberi libertate extrinseca, & imperata, non libertate formali, & intrinseca; pro vt enim bonum est intelligere, aut moueri, aut alijs operari potentijs, habet voluntas id adamare, vel nolle, vnde sequentur actus, quasi ab imperante, & Regina cæterarum potentiarum. Obiectum voluntatis est ratio boni quodcumque tandem, vt talis: vnde bona quoque appetitus sensitiui excipit etiam voluntas meliore appetitu; sicut intellectus obiecta sensuum meliore percipit

pit cognitione.

132. Distinctio appetitus sensitiui à voluntate, seu appetitu rationali, vnde bene diuidimur in portionem superiorem, & inferiorem admittenda est, vt non sit tamen duplex reale principium primum eiusmodi duplicis appetendi actus, licet habeat exerceri altero repugnante, & eligente contrarium; sed tantùm, vt ille sit vis appetitiua rudior, pro vt sensibilibus necessariò afficitur, hic excellens & inorganicus, pro vt ratiocinatione facta de propositis bonis eligit sequi, quod placeat.

133. Quæ non magis distinctionem important, quam distinguatur aut oculus, qui modo intensior, & applicatior, modo remissior, & minus aduertens videat obiectum, aut intellectus, qui erga diuersa feratur simul, & erga alia tenuiter, erga alia operosius. Sed vno verbo dicendum etiam est nullas animæ potentias appetitiuas, vel cognoscitiuas, vel etiam loco motiuas distingui vel ab anima, vel ab inuicem inter se vlla vera intrinseca distinctione; sed tantùm secundùm denominationem extrinsecam in ordine, vel ad diuersum organum, & obiectum, ad quod feruntur, seu in ordine ad diuersum modum,

dum, quo in idem tendant obiectum, quod tandem est in ordine ad diuersos effectus, quos eadem anima hic, & nunc partialiter virtutem suam exercens operari habet.



PARS

PARS QVARTA

MERIDIES,

ſeu

METAPHYSICA,



1. 
ETHODVS, quæ nobis viſa eſt præſenti inſtituto opportunior, iam deducit ad quæſtiones metaphyſicas; quarum, cum plurimas in antecedentibus tractare neceſſe fuerit, reliquum eſt, vt exequamur illas, quas nondum attigimus, & verò peculiaribus etiam titulis Metaphyſica ſunt, hoc eſt longè minus cum rebus Phyſicis natura ſua permixta, ac proinde hoc loco etiam, meridiano ſcilicet cælo, digniora.

Cæ-

Cæcutit enim verò ille in meridie, qui metaphysicæ scientiæ luce omnium maxima simul, & directissima non capitur, atque illustratur. Cum autem ipsam quęstionem proemialem de natura scientiæ metaphysicæ alio loco expediuerimus statim ad ipsum metaphysicæ obiectum veniamus.

CAPVT I.

De Natura entis, vbi de Possibili, & Negatiuo.

2. RAtionem entis simplicissimam, ac in plures rationes ęquè primas indiuisibilem, proindeque, vt part. pr. num. 31. & 32. dicebamus, per se primò notissimam, mirum dictu non pauci satis malè nosce videntur. Plato in sophista ait difficillimum esse statuere, quid sit ens, alij se se referentes ad ipsum terminum significatiuum entis, illum diuidunt in participiũ, & nomen, & iuxtà rationem termini significatiui, duplex ens statuunt: Alterum definientes esse, id quod existit, alterum, quod dicit aptitudinem ad existendum; sed planè offendimus in limine, tùm si dicamus ens esse difficile cognitu

gnitu, cum cætera sint ipso ignotiora, & tantùm ex euidentia eius cognoscibilia, tùm si inexplicabile dicimus, esto enim non dicat ens plures rationes essentiales, & primas, puta genus, & differentiam, quibus constituatur; benè tamen dicit plures rationes posteriores, ac proprietates, quibus declarari potest, vel etiam quasi digito demōstrari alijs verbis, quid est quod dicimus, quando dicimus ens; neque minus offendimus in limine diuidentes ens, secundùm quod significatur vi nominis, vel participij, cum nec aut nomen ens, aut participium ens, vt sic aliam, & aliam rationem entis significet: nec sit diuersa ratio entis vt sic alio, & alio nomine explicabilis.

3. Illud verum est, & (liceat dicere) notatu dignum, quod cum termini, quibus loquentes vtimur, deputentur ad significandas res, quas cognoscimus, easque significent etiam, prout cognoscimus; cumque obiecta cognoscamus actualia, & possibilia, tum quando existunt, tum quando præterita sunt, vel etiam antequam existant, cum scilicet tantùm futura, vel merè possibilia sunt; per consequens inde fit, quod & terminis vtimur ad significandum obiecta secundùm hāc diuersitatem non quidem (vt fortasse oportebat, & cōmodius fuisset ad scien-

tias, licet longè difficilius, & incommodius ad perdiſcenda idiomata) ita vt alij ſignificent res exiſtentes, alij præteritas, alij futuras, vel poſſibiles; ſed ita vt vnus, idemque terminus eandem rem in quacumque differentia temporis ſignificet, prout hic & nunc variè vel per ſe, vel cum alijs vſurpantur; & ſic hæ voces, Bucephalus, Adam, Troia, cæteræque huiuſmodi idem nunc ſignificant, quod ſignificabant, quando exiſtebant actu ipſi Bucephalus, Adam, Troia; & hæ voces, Antichriſtus, dies futura iudicij illum ipſum realem Antichriſtum, & diē, qui de facto erunt, nunc ſignificant, vt tunc ſignificabunt, quando exiſtent; alioquin quis loquentes intelligeret, ſi aliena ſignificarent, vt quis loquens de Patre, aut Leone, aut Vrbe deſtructis intelligeretur, ſi nomina, quibus ſignificabantur viuentes, non ſignificarent etiam, dum deſtructi ſunt?

4. Quod autem in quamplurimis terminis contigit, id etiam in hoc termino Entis, imò, & in hoc termino Eſt, vſuuenit, vt vnum quidem, idemque vniuocè ſignificet, nempe ens exiſtentiæ, ſeu exiſtens; etenim, dum dicimus: Deus eſt ens, ſol eſt ens, intelligimus exiſtere, & eſſe ens exiſtens, hocque idem ſignificat hic terminus ens, vel eſt,

etiam

etiam si non existat, vt cum dicimus Antichristum esse ens futurum, vel possibile. Neque verò ideò hic terminus ens diuersa significat, quia obiectum, vel significatum ipsius modo existat, modò non existat, sicuti non ideò hic terminus, Bucephalus, significat diuersum equum nunc, quàm significaret tunc, quando erat ipse equus Bucephalus, nulla est enim facta, nec vlla fit variatio in vi significatiua nominis per hoc, quod obiectum eius varietur, vt non variatur statua cæsaris per hoc, quod cæsar ipse modò existat, vel non existat.

5. Quo fit, vt licet, quæ actu non sunt, verè nihil prorsus in se sint, tamen vera esse, & entia dicantur, vt possibilia vel futura, vel præterita, non quia vllum nunc esse habeant, sed quia, vt cognoscuntur, licet non sint, sic & nominari possunt, & nominantur vt Troia, & Bucephalus, & possunt prædicari de ipsis rationes eorum natiuæ, abstrahendo ab eo quod hic, & nunc sint; quo modo imago Bucephali, aut cæsaris facta viuentibus ipsis repræsentat eosdem etiam nunc, abstrahendo ab hoc, quòd actu sint, vel non sint.

6. Dicendum est ergo ens esse id, quod existit; quo non definimus ens, cum propter simplicitatem sit proprie indefi-

nibile, ſed quaſi digito demonſtramus tacentes verbo, te oſtendentes exiſtens, & dicentes illud tantùm eſſe ens, ac in ipſo conſiſtere rationem entis veram, & perfectam, nec inuoluentem in ſe ipſa ſummam illam falſitatem, & imperfectionem, quæ in contradictione ſita eſt, atque adeò non dicentem eſſe, & non eſſe, ſed merum eſſe ſimpliciter.

7. Hæc ratio entis certa eſt; quid enim euidentius, quàm quòd exiſtens ſit ens? Imò, ſi mens læua non eſſet, deberet etiam eſſe euidens illud tantùm eſſe ens, quod eſt exiſtens, ratio enim exiſtentis non eſt ratio differentialis, neque contractior, quaſi ens vniuerſalius acceptum diuidatur in poſſibile, & exiſtens, quid enim eſt illud ens vniuerſaliſſimum? quod minus poteſt, cum ſit ineuidentiſſimum, indigitari (indigitari enim non poſſunt, quæ non euidenter apparent) quod ſi ratio exiſtentis eſt ſimpliciſſima ratio, ergo ipſa eſt ipſiſſima ratio entis, eiuſque conſtitutiua, & nihil addens ſuprà Ens, vnde per conſequens erit conuertere Omne ens eſt exiſtens, & Omne exiſtens eſt ens.

8. Proinde cum conſtitutiua, & diuiſiua cuiuſcunque rationis ſint idem, non ſolum euidentiſſimum eſt quid ſit ens propter dictum eius ſimplicitatem; ſed

etiam

etiam æque euidentissimum est quid non sit ens, sicuti quo modo cognosco quid sit homo, cognosco etiam similiter, quid non sit homo; ac propterea euidentissimum est, & constantissimum omnibus, quod nec possibilia, nec entia negatiua, vel priuatiua vt talia, & sic neque futura, neque præterita veram habent actu rationem huiusmodi entis, adeò vt absurdum videatur non solum tenere quod ista sint ens, sed etiam parum admodum rationabile sit de huiusmodi dubitare.

9. Neque enim dici potest euidens quidem esse, quod possibilia, negatiua, & sic de cæteris, non sunt ens, nempè illud verum ens simpliciter sic dictum supra nobis explicatum; sed tamen dubitari posse, an detur alia ratio entis, secundùm quam illa sint ens aliud longe minus, & imperfectius: cum id, de quo dubitatur impossibile sit, quod sit primò ac per se euidens, ac proinde ex primo euidenti tandem probandum sit: non est autem hic aliud primò euidens, nisi ipsum simpliciter ens, & existens: Iam verò vtique hæc ratio entis veri completi, & existentis erit inepta ad demonstrandum de his alijs imminutis essendi rationibus, quibus vel ens existens opponitur contradictoriè vel non est superius, & tamquam genus, nec per consequens con-

tinget probatio à priori, & tamen probatio de ente metaphysicâ res est,& a priori argumentari videtur.

10. Veruntamen, vt vt ista certa esse videantur, facit nihilominus locum quæstioni partim æquiuocatio nominum, quibus appellamus entia, ipsa non entia, & dicimus, ait, Philosophus, quæ non sunt esse non ens, partim difficultas saluandi veritatem cognitionum, & propositionum, quas facere solemus, quasque consideramus in Deo de rebus possibilibus, & impossibilibus præteritis, & futuris, priuatiuis, & negatiuis; quæ videntur non posse esse veræ,nisi ista earum obiecta aliquale tandem esse hebeant a parte rei.

11. Sed tamen dicendum est primò possibilia in statu meræ possibilitatis nullum prorsus esse actu ens,ne imminutum quidem in se ipsis. Neque enim sunt ens, quia aut illa causauerit aliquo modo intellectus Diuinus ipsa cognoscens, cum nec ratio intelligendi vt sic, nec ratio intellectionis Diuinæ habeat dare huiusmodi verum ens diminutum (qui enim, & vnde id probetur?) & de facto non det vel sibi se ipsum intelligendo, vel rebus iam creatis item illas intelligendo: neque causatum est huiusmodi ens diminutum possibilium à potentia Diuina,

quæ

quæ nec intrà, nec extrà se causat quidquam necessariò, possibilia autem sunt possibilia necessariò; & æque inintelligibilis est hic modus causandi rem in esse diminuto possibilitatis, cum omnis vera causalitas appellet actualem rei existentiam.

12. Multò minùs dici potest possibilia esse ens per se, & a se, non ab alio, quia ly, esse a se, importat independentiam, ac proinde maximam perfectionem essendi, quæ vtique enti diminuto possibilium non conuenit, & si existere a se dicit infinitam, & diuinam perfectionẽ, quare summam perfectionem non dicit ipsum esse a se ità vt non dependeat ab alio? imò sicuti communiter admittitur, quòd ipsum existere a se ideo importet infinitam perfectionem, quia, quod sic existit, non habet vnde limitetur, nec ab efficiente, nec a subiecto, vel alio consimili titulo, cur non erit diuina, & infinita perfectio ipsum esse a se, cum similiter non sit inuenire prius opportunum, vnde limitetur.

13. Est etiam illud difficile, quia, si essentia possibilis, puta Petri, Antichristi, mea, antequam existat, actu verè est aliquod ens, & suprà nihil, vtique hæc essentia, qualiscumque sit, non distinguitur realiter, vel modaliter a me ipso v.g.

postea existente; stultum enim esset, quod ego a mea essentia distinguerer, sed neq; identificatur, cum ego sim actu existens, & ens perfectum; Illa autem mea essentia non sit existens, sed tantùm ens diminutum: Deinde vel ipsa perseuerat in suo esse diminuto, quando ego existo distincta, vel identificata, & hoc est absurdum, tùm si dicatur quod facta sit, & identificata rei factæ, tùm si dicatur quod æterna sit, esto sit essentia rei nouiter existentis: vel destruitur illa essentia mea æterna v. g. secundùm illud esse possibilitatis diminutum, hoc ipso quod ego fiam, & hoc est æquè absurdum, quis enim destruit, aut tollit illud esse diminutum, & quodnam esse illi opponitur, vt stare non possit essentia mea existente me, imò quis destruit rem æternam, & necessariò habentem esse?

Et certè currit hic illud, quod S. Greg. olim inferebat contra Euticium opinantem nobis resurgendum quidem esse, sed carne impalpabili, & aere, ac ventis subtiliore. Sic enim aiebat S. Doctor. 14. moral. c. 33. si post resurrectionem corpus palpabile non erit, sed inuisibilis corporis subtilitas caro vocabitur, quamuis substantia carnis non sit, profectò alius est, qui moritur, alius qui resurgit. Dico enim viceuersa: si quæ, ante me existentem,

tem, dicitur actu fuisse essentia mea; accidentiumque meorum; tamen non palpabilis pro tunc nec visibilis nec discursiua fuit, vtique nec caro nec os, nec prorsus essentia mea fuit, & alius est, qui fuit possibilis, alius qui factus est, & existit: Quod est absurdum manifestum, cum qui fit sit ille ipse, qui potuit fieri, & possibilis fuit; alioquin quomodo factus est, si ipse idem non fuit prius possibilis.

14. Præterea ipsum esse ens possibile vel verificatur de ipsis entibus possibilibus secundum illud esse diminutum, quod habent, antequam existant, & sic de reliquis prædicatis rationalis, discursiuus, risibilis, & similia; vel verificatur de ipso esse postea existente, puta de Petro, & Paulo nunc actu existentibus antecedenter possibilibus. Si dicitur primum, absurdè dicitur, tùm quia esse possibile est posse existere, at illa essentia, & diminutum esse Petri, & Pauli, certè non potest existere, nec mutare suam essendi rationem, tùm quia illud esse diminutum nec est rationale, nec discursiuum, nec visibile, cum verè discurrere nequeat, imò ne viuens quidem sit, nisi prorsus æquiuocè; vel, vt verum est, verificantur illa de eo esse, quod habent de facto nunc Petrus, & Paulus existen-

tes actu; & eiusmodi esse non est ens diminutum, sed verum esse existentiæ absolutè sic dictum.

15. Et verò si possibilia ante actualem existentiam habent aliquod tandem esse verum, mirum est, quonam loco sint, quod enim nullibi sint, & tamen sint, inintelligibile est S. Aug., & est difficile assignare disparitatem, cur, quæ existunt, alicubi existant, quæ verò sunt non necessariò alicubi sint. Quod autem sint hic potius, quam illic, absurdè dicitur, cum non sit maior ratio, de hic, quam de illic, nec peti possit à determinatione Diuina, cum sint necessaria, & in signo priore, ac antecedente Dei liberam determinationem habeant suum esse possibile, sicut & absurdè diceretur, quod sint, vbi possunt existere, cum enim possit Antichristus existere in quibuslibet locis, nunquid nunc actu esse diminutum ipsius Antichristi est in quibuslibet locis.

16. Hoc si dicatur iam eiusmodi possibilitas Antichristi erit immensa, cum vbique sit possibilis, & , vt vt diminutum ens, tamen computatis omnibus certè maior erit ipso ente existente Antichristi, cumque ex eo, quia verum est dicere Antichristus est possibilis, arguatur dari ergo actualem nunc aliquam illius

illius essentiam, quid ni ex eo quod est verum dicere Antichristus est possibilis & hic, & ibi, & ibi,& sic de cæteris locis, arguatur similiter ergo eiusmodi essentiam Antichristi diminutam vere esse actu hic & ibi, & in omnibus locis.

17. Facit difficultatem propè vnicam (& aliqui censent insolubilem) quod de possibilibus huiusmodi entibus formamus cognitiones veras, illaque Deus inteligit: ergo illa nunc esse terminos, & fuisse ab æterno obiecta cognitionis diuinæ in mente ipsius, & habere aliquod esse a parte rei, cui veræ cognitiones conformentur,alioquin veræ esse non possent, & intuens possibilia haberet Deus scientiam de nihilo

18. Verum sicuti imago cæsaris optima,& vera imago eius est viuo cæsare,& mortuo,& annihilato etiam, & sicut oculus intuitiuè videns parietem, verè adhuc illum videbit,& si annihiletur paries,modo conseruentur miraculosè in oculo species illius impressæ, quia non dependent essentialiter nec oculus ab existentia obiecti, nec imago ab existentia prototypi: imò sicuti auris accepta specie soni audit sonum, quem probabile est iam esse destructum, ità potest intellectus tùm diuinus, qui est essentialiter species cognoscibilium, tùm creatus, si habeat species

impressas, cognoscere cognitione veras res, vel existentes, vel possibiles sint, etiam si nullum actu habeant esse, dum cognoscuntur.

19. Et de facto Deus ab æterno cognouit (vt demus hoc aduersarijs) non solum illud esse diminutum, quod mundus habuit in statu possibilitatis suæ, verum etiam ab æterno cognoscit illud esse reale existens, ac perfectum, quod habet de facto nunc, & secundùm quod non fuit ab æterno, cum hoc de nouo factum sit. Quod si ab æterno Deus cognouit hoc esse existentiæ, quod nunc habet hic mundus, quodque non habuit ab æterno, ergo stat, quod cognosci possit aliquid, & quidem vere, licet nullum habeat esse tunc, quando cognoscitur, ergo sine vllo fundamento arguitur possibilia in statu possibilitatis habere aliquod esse, ex eo quod cognoscantur, cum manifestum sit Deum cognoscere ab æterno esse existentiæ rerum nunc existentium, quod esse existens ab æterno non erat, sicut nunc est.

20. Imò sicuti hoc ipso, quod Deus potuit vel ante decem, vel ante centum millia annorum facere hunc mundum, qui de facto est, potentia certè non versante circà mundum illum diminutum, qui nec est, nec fieri potest, sed relata, &

ver-

versante circà esse existentiæ, hoc est circà factibile, sic enim decet potentiam factiuam, & sicuti artifex creatus versatur tùm cognitione, tùm potentia operatiua circà domum factibilem realem exituram, quæ non est, non verò circà aliquod esse diminutum domus, quod sit, quis quæso prohibet, quod Diuinus intellectus & ipse versetur circà eadem factibilia, circà quæ versatur omnipotentia, quam proinde quodammodo dirigit intelligendo, & cognoscendo mundum factibilem, antequam faciat, quem secundùm illud esse reale existentię, quod voluntas decreuit, omnipotentia etiam si non esset, & antequam esset, nihilominus fuit factura. Et vero inintelligile foret, quod Deus fecerit hoc esse completum perfectum, & existentiæ absque eo, quod illud ipsum in pondere, numero, & mensura cognouerit, antequam faceret, nec certè ipsum cognouisset satis, si ipsius tantùm essentiam, esseque diminutum, quod diuersissimum euidenter est, cognouisset.

21. Quod si ergo contingit, imò Deo necessarium est cognosci entia completa, & in esse existentiæ eo etiam tempore, quo non existunt, atque adeo, quo secundùm illud esse existentiæ nihil prorsus sunt, quando cognoscuntur, per conse-

quens æque necessarium est posse ergo veras esse cognitiones huiusmodi tendentes in possibilia, licet actu nullum esse habeant, tùm quia omnis cognitio Diuina vera est, tùm quia sunt veræ cognitiones illæ, quæ naturaliter appetuntur, cuiusmodi sunt cognitiones possibilium, & sic præteritorum, ac futurorum.

22. Vnde rursum sequitur, non ergo requiri ad veritatem cognitionis, quod obiectum ipsius habeat aliquod verum esse actuale, sed sufficere quod habere possit, vel habuerit, aut habiturum sit, pro vt nata est exprimere intellectio, quæ natura sua fertur in obiectum, tùm notans tempus realis existentiæ, tùm ab ipso abstrahendo, vt abstrahit vera pictura, vel visio sensitiua. Sicut enim veritas, vt est relatio prædicamentalis, dicit conformitatem cognitionis cum obiecto, conformitas autem absolutè est duorum conueniens formitas, ita ad veritatem perfectam cognitionis, quantùm ad cognitionem attinet, sufficit quòd ipsa sit ritè formata, seu cum tali forma in exprimendo, qualem habeat, vel habere possit obiectum in essendo, neque vlla vnquam ratione probari potest, quod ad veritatē, ac bonitatē cognitionis requiratur absoluta, & actualis sui, & obiecti cōformitas actualis, & in statu essēdi naturaliter posita.

23. Et

23. Et verum quidem nunc est dicere Antichristum esse possibilem, vel futurum, & res præteritas, & annihilatas iam fuisse, iterumque esse possibiles, & ideò Antichristum esse possibilem, quia ipsius essentia, cum consistat in esse animal rationale, non implicat contradictionem, & sic possibilitatem possibilium dicere certam essendi perfectionem, quam non dicunt impossibilia, & habere aptitudinem ad essendum, & terminare cognitionem, ac potentiam diuinam, & si quæ alia huiusmodi. At ratio cur veræ sint istæ propositiones, non est quia ipsis correspondeat obiectum in esse actuali nunc, quando propositiones existunt, sed quia correspondet ampliatiuè, & secundùm esse, secundùm quod exprimit propositio, quæ non exprimit obiecta esse nunc, & sicuti cognitio sic exprimit obiecta nunc, quæ tamen nunc nullum esse habent, sic termini vocales correspondentes eiusmodi cognitioni, quam quis facit nunc, puta, essentia Antichristi est possibilis, verè significant nunc subiectum, & prædicatum, non habentia nunc verum esse, sed potentia habere, vnde stat, quòd non sit a parte rei nunc vera possibilitas rerum non existentium, & tamen sit nunc vera propositio, quæ fiat de possibilitate earundem propter rationem datam, quod

&

& cognitiones habent cognoscere, & termini significare etiam, quæ non sunt.

24. Ad ista consequens est, quòd non distinguatur realiter essentia ab existentia, & verò non sunt ab inuicem separabiles; omnis enim existentia quidditas est, & esse aliquod, & omnis essentia actualis, hoc ipso quod verè essentia est, est etiam intransitiuè existentia, & sicuti ens, & existens realiter idem sunt, idem necessariò sunt etiam essentia, & existentia, vnde esse cuiuscunque rei est suum existere, non quatenus hoc dicitur de solo Deo ad significādam summam eius essendi perfectionem, qua inuoluit in suo conceptu necessitatem existendi, non verò meram potentiam ad existendum, sed merè quatenus indistincta res sunt esse, & existere.

25. Si verò essentias esse possibiles sufficeret, vt illas distingueremus ab existentijs, iam etiam essent distinguendæ existentiæ possibiles ab existentijs actualibus, cum se habeant tàm essentia, quàm existentia quoad hoc eodem modo; essentia enim possibilis in statu possibilitatis nihil est, vt etiam nihil est existentia possibilis, & sic benè distinguitur tùm essentia possibilis ab essentia actuali, tùm existentia possibilis ab existentia actuali: Neque essentiæ sunt æternæ, existentiæ

verò

verò temporariæ, sed vtręq; extrà Deum sunt temporariæ, esto essentiæ dicantur æternæ in ordine ad scientias, quatenus æternæ veritatis est cognoscere, & enunciare, de ipsis, abstrahendo non ab existentia possibili, sed ab existentia temporaria.

26. Quare idem realiter significant ens, existens, essentia, entitas, existentia, esto rationes diuersas, aut diuersam conceptionem earum significent; essentia tamen accepta, non pro vt dicit ipsum esse cuiuscumque rei, primumque principium proprietatum eius, sed pro vt dicit meram quidditatem, & rationem essendi, tantum abest quod realiter, vel ex natura rei distinguatur ab existentia, vt ne distinguatur quidem ratione, cum formaliter vtraque dicat meram rationem essendi, vel, quod idem est, existendi.

27. Dicendum similiter est, negationes, aut priuationes, vt negationem dicunt, non habere vllam veram vtcumque imminutam rationem essendi, tum quia valet quod supra dicebamus de possibilibus; non enim habere huiusmodi esse factum a Deo, fit enim tantùm verum ens; neque habere esse a se: sed rursum neque habent a Deo, hoc ipso quod non fecerit formam, seu esse oppositum negatio-

gationi, quia sicuti eiusmodi negationes non sunt a Petro per hoc, quod ipse hæc, aut illa positiua non fecerit, ita hæ vel illæ negationes non sunt a Deo, qui opposita earum positiua non fecerit: Est etiam difficile statuere locum negationibus, quę si habeant aliquod tandem esse, cur prorsus nullibi sint? Statuere autem illas in certo loco non licet, cum vbique sit negatio Antichristi, vel alterius mundi, quodāmodo tàm immensa, quàm Deus; vnde, sicut de possibilibus dicebamus numero 15. & 16. iam computaris omnibus negatio Antichristi, vt vt sit ens diminutum, maior erit toto esse positiuo Antichristi.

28. Deinde vel negationes distinguūtur ab eo, de quo dicuntur, v. g. negatio lapidis à Petro, vel non; si non distinguuntur vllo vero modo, ergo realiter identificatur negatio rei positiuæ, vnde iam esse & non esse sunt vnum, & idem, quod est identificari contradictoria: Esto enim esse Petri, & non esse lapidis non sint contradictoria, vt ita dixerim, secundùm speciem essendi, & non essendi, benè tamen sunt contradictoria secūdùm genus, cum esto sint Petrus quidem tale ens, negatio lapidis tale non ens, tamen vtrumque absolutè sint iam simul ens, & non ens. Si verò negatio lapidis in Petro

di-

distinguitur ab ipso, quæ tanta connexio inter tàm distincta, vt tamen numquam ab illo possit auferri? Deinde difficile est statuere, quomodò afficiat Petrum ista entitas diminuta, imò quomodo afficiant Deum tàm multæ negationes, quæ de ipso dicuntur, an enim verè Deus quasi subiectat istas entitates diminutas; & si Deus non subiectat, quomodo his negationibus afficitur, vel quasi afficitur, ac denominatur non lapis, non aurum, vel quomodò tàm fortes sunt, vt per se stent sine vllo subiecto?

29. Est etiam illud incommodi, quod negationes, quæ de nullo existente prædicantur, vt non esse Antichristi, non esse rerum possibilium, per consequens nullo modo in subiecto sunt, ac proinde etiam negationes formarum accidentalium, erunt substantia tandem aliqua diminuta, imò & infinita actu numero entia negatiua existunt iam, prout finita in infinitum saltem positiua facta non sunt: quæ incommoda, cum satis malè vitentur, nolumus pluribus confutare.

30. Prætereà neque contradictoria opponerentur se totis, si non entia per hoc essent aliquod verum ens, vtcumque diminutum; aliud enim ens, & aliud ens, vt talia, non sunt contradictoria, & sic veræ essent duæ propositiones contra-

di-

dictoriæ .sc. ista : Non ens, seu negatio est ens, & opposita huic, Negatio, seu non ens non est ens, Vnde iam non est euidens, quòd duarum contradictoriarum altera sit vera, altera falsa. Cum verò hoc esse negatiuum certè non sit ens absolutè sic dictum, sed aliud, vtique vel est sub genere entis realis simpliciter, & hoc non ; participaret enim rationem generis sui, vel est sub alio genere vniuersaliore, & opposito enti reali, & hoc minus, illud enim vniuersalius genus, vt pote vniuersalius, & simplicius ente reali simpliciter, deberet esse euidentissimum, cum sit natura prius, & abstractissimum, & tamen est obscurissimum, & indeclarabile, vt tentanti patebit ; vel est ita oppositum, vt non sit sub genere, & item inexplicabile est, ac obscurissimum, cum nec sit per se notum, nec, vt pote simplicissima ratio, sit definibile.

31. Quod enim dicatur esse ens negatiuum, non satisfacit, vt quærenti, quid sit homo, non satisfieret dicendo esse ens humanum, sed & est inintelligibile, quod sit negatiuum illud, quod affirmatur esse : Et verò, cum negatio non existat propriè, & more veri entis, non habemus cognoscere, quo ergo modo sit verum ens, aut existens ; quod enim aiunt existere negatiuè, falsum est ;

vel

vel enim ipsa negatio puta Antichristi existit negatiuè, quo modo negatiuè existat Antichristus, & hoc non, cum per hoc existere negatiuè Antichristus intelligatur, quod nullo planè modo existit, nec vllum prorsus est ens; Vnde si negationem eius existere negatiuè, sic explicetur, planè ipsa negatio nullum erit ens; Vel negationem existere negatiuè est existere verè, sed diminutè aliquid, & hoc falsum est; tùm quia hoc est existere simpliciter affirmatiuè, & positiuè; tùm quia, quando existeret Antichristus, tunc verè non existeret negatio Antichristi, & tunc verum esset dicere existere negationem negationis Antichristi, vbi saltem esset Antichristus, vt existeret negatio Antichristi, vbi ipse non esset, quæ iam tollerentur, ac fierent hic, aut ibi, prout Antichristus posteà moueretur localiter.

32. Vnde daretur negatio negationis, non solum in hoc casu, sed communissimè in quàm plurimis; hic enim lapis, hic Petrus v. g. vtique nec est Antichristus, neque est hæc, aut illa negatio Antichristi ergo si per hoc quod hic lapis, hic Petrus verè dicitur non esse Antichristus habet negationem Antichristi, eodem modo per consequens per hoc quod non est hæc, aut illa negatio Anti-

christi, habebit negationem huius, aut illius negationis, quæ quam incommoda sint tùm propter processum in infinitum, tùm propterea quod iam duæ negationes opponerētur contradictoriè, tùm propter tantam diuersitatem entium, & non entium, arbitror etiam leuiter consideranti patebit.

33. Præterea nec est per se euidens negationes esse aliquod ens diminutum, vt credo manifestum est, neque ex euidenti probari potest; nam si probatur, vtique a priori, & metaphysicè probatur, ac proinde per principia entis, quod est impossibile, cum non probetur a priori, nisi ratio in ipso contenta; at non ens, & si diminutum sit, non continetur in ente positiuo suo contradictorio; Ad summum probari potest quasi a simul (vt de facto, quasi dixerim, nescientes ordinem probationis suæ aliqui tentant) sed oportet prius probare, quod cognoscantur, seu certè notæ sint negationes, saltem quoad quod sunt, quis enim mensuret, quod nescit an sit, ergo vt euidens est negationes esse obiectum cognitionis vel fictum, vel reale, vnde probent esse reale?

34. At dicimus negationes esse, & facimus propositiones negatiuas veras, ergo conformes obiectis, ergo sunt ne-

gationes, vt dicuntur esse; alioquin omnes propositiones negatiuæ essent falsæ, quod est vnicum fundamentum sententiæ, quam alioquin, ausim dicere, nemo non desereret, ac risu haberet. Sed aliud est propositiones negatiuas esse veras, & hoc benè dicitur, aliud negationes verè cognosci, & formaliter esse obiectum propositionum negatiuarum verarum, ita vt cognitiones veræ repræsentent ipsas negationes; & hoc falsum est.

35. Vt enim negationes nihil prorsus sunt, nullamque per consequens habent speciem, vel formam, vel delineamenta essendi, sic nulla dari potest cognitio, nullaque forma, aut species, aut delineamenta, quæ verè negationibus conformia sint; Sed falsa necessariò est omnis cognitio; & forma cognitionis hoc ipso, quod repræsentat negationem; quę certè non habet in esse eam formam, quæ a cognitione repræsentatur.

36. Neque verò quidquam ignorat, qui negationes formaliter non cognoscit, cum enim omne ens in positiuo consistat, per consequens omnis etiam veritas, & scientia in cognitione positiui consistet, & Deus perfectissimè cognoscens positiua omnia actualia, futura, præterita, & possibilia, hoc ipso perfectissimè cognoscit, quidquid apud nos imperfectè propositi-

poſitionibus negatiuis explicatur, & ad hoc, vt cognoſcatur Petrum non eſſe lapidem certè ſatis eſt intimè cognoſcere Petrum, & lapidem, qui, vt diſtinguuntur ſe ipſis poſitiuè proſcripta omni negatione, ita ſe ipſis cognoſcibiles ſunt diſtingui, & de facto nihil aliud ſignificatur per hoc: Petrum non eſſe lapidem, quàm Petrum eſſe alium a lapide, ſeu opponi, & contradiſtingui a lapide.

37. Similiter non eſſe alium Deum, non alium Mundum, non Antichriſtum, qui ſcit verè, & ſcientia euidenti, ille ſcit, non quia videat formaliter negationem horum, ſed quia videndo omnia quæ ſunt, videt illa, & illa ſolummodò, & eſſe alia ab Antichriſto, ſeu non videns Antichriſtum; quod & hinc fit manifeſtum; ſi enim dicam verè cognitione phyſica Petrum non eſſe in ſchola, id licet dicam duce ſenſu viſus; non tamen dico, quia viderim negationem Petri, quæ certè non eſt viſibilis; ſed quia viſis quæcumque ſunt viſibilia in ſchola, ſeu quibuſcunque ibi exiſtentibus cognoſco illa eſſe alia a Petro, nec ipſum ibi video; Vnde facile breuitatis commodioris gratia, iam non enuncio hæc & illa, & illa ſola eſſe in ſchola, quæ foret reſponſio ſufficiens, ſed breuius enuncio Petrum non eſſe in ſchola.

58. Quæ est vera ratio, cur enunciationes affirmatiuæ sint priores negatiuis, cum negatiuæ non sint nisi figuratæ, breuiusque exprimentes negatione, quod affirmatiuè per prius iudicatum est; Vnde nulla de facto est, aut esse potest propositio negatiua vera, quæ terminis affirmatiuis veris explicari non possit. Et hæc in substantia est manifesta sententia Suar. in met. dis. 54. §. 2. nu. 22. vbi ait perfectam cognitionem negationis non consistere in hoc, quòd ipsa directè, & per modum entis repræsentetur; sed in hoc, quòd cognoscendo entia positiua in eis cognoscatur vnũ non esse aliud, absque illa directa repræsentatione ipsius negationis, vel priuationis, & hoc modo cognoscit Deus perfectissimè negationes ipsas, non quidem sine positiuo actu, & iudicio, quo Deus intuendo duas res, simplicissimè simul intuetur vnam non esse aliam; sed quia præter hunc actum Deus non habet alium ratione distinctum, quo apprehendat ipsam negationem per modum entis positiui. Ita Suar. loco citato in quo vides sumi ab ipso pro eodem cognoscere negationem per modum entis, & per modum entis positiui. Quod enim est, videtur inintelligibile, quod sit non ens, seu ens negatiuum.

CAPVT II.

De ente rationis, & per Accidens.

39. ENS rationis est illud, quod habet tantùm esse obiectiuè in intellectu; Vnde nec habet esse reale in Deo, in cuius eminentia essendi, vel omnipotentia efficiendi contineatur, nec esse posſibile in natura sua obiectiua, sed absolutè merus conceptus obiectiuus est, seu fingitur potius, inuoluens contradictionem, & imposſibilitatem essendi. Sunt aliqui, qui volunt etiam imposſibilia antecedenter ad animam habere de se aliquod esse diminutum, more, aiunt, negationum, & posſibilium, sed & hoc falsum esse constare potest ex suprà dictis, & ex definitione, si ritè accipiatur entis rationis, quæ excludit omnem veram rationem esſendi.

40. Non est medium inter ens, & non ens, cum verè non sit, & fictum esse nihil sit in eo, quod fingitur; potest autem fieri ab intellectu Angelico, & ab humano ijs cognitionibus, quibus falsò cognoscere posſunt, discursu. s., iudicio, apprehensione complexa; necesſariò enim

ens

ens rationis dicit terminum complexum, cum ſemper ſit conceptus obiectiuus inuoluens rationes, & prædicata contradictoria; atque adeo, vtcumq; fictè vniantur, diſtincta ſemper aut diſtinguibilia realiter, tamen non poteſt nobis ens rationis occurrere, niſi tanquam terminus complexus, cum & ſi termino vocali incomplexo nominaretur, tamen occurrat quo modo primò factum eſt, cum aliam eius ſpeciem non habeamus, & ſpecies aliena, qua vtimur, ſemper duo facta complexa repræſentet.

41. Non poteſt fieri a Belluis, nec ab vllo ſenſuum externorum, quippe iſta non percipiunt niſi obiectum ſenſibile, quod certè non eſt ens rationis: &, vt vt componantur ipſis vel a medio, vel ab inquietudine ſomni diuerſæ ſenſibilium ſpecies, quibus formas diuerſas, habituſque rerum externos variè vniant, puta montes, aut panes aureos, aut baculos fractos, aut colores alienos, & ſi quæ huiuſmodi; tamen iſta obiecta impoſſibilia non ſunt, vt apprehenduntur a ſenſu, qui non veſtigat, aut iudicat circà eſſe, vel non eſſe rerum (quod Metaphyſicū, & inſenſibile eſt) ſed verſantur ſolum modò circà vnionem, vel diuiſionem illam externam, quæ ad modum poſſibilis eſt. Porrò Belluæ tēdentes in vuas pictas,

& similia, nec iudicant esse veras, nec apprehendunt ibi necessariò bonitatem vllam non sensatam; sed trahuntur tanquam ad obiectum placens vni sensui, puta oculo, & inde propter naturalem connexionem placens appetitui, ac palato; quod obiectum inde etiam spernunt, vbi melius vel oculo, vel alio sensu percipiunt, tamquam sibi improportionatum; Neque canis visa vmbra putat illam esse suum Dominum, sed concipit ibi per similitudinem Dominum, vel quid simile illi.

42. Quòd autem potentia sensitiua faciat ens rationis simpliciter, apprehenso obiecto in loco, in quo impossibile sit, quod existat, duas habet difficultates. Prima est, quia vtrum sensus apprehendit vbicationem obiecti, quæ non est sensibilis? esto enim tum canis, tum ego videam obiectum, & audiam sonum, qui est ibi, & tendam eò, vbi est obiectum, vel inde fugiam, num tamen, quia video, vel audio vbicationem eorum? Secunda difficultas est, quia impossibile est dari vllum ens creatum metaphysicè immobile, & alligatum huic, aut illi loco: quia non potest esse alligatum huic loco metaphysico, seu virtuali immensitatis diuinæ, cum vbique diuina immensitas sit eadem, nec possint creaturæ di-

cere

cere vllum essentialem ordinem potius ad hanc, quàm ad illam ipsius partem, cum verè non sit pars hæc, aut illa loci diuini; sed neque potest vlla res creata esse alligata essentialiter huic loco physico, vel mathematico, cum ipse locus non sit vllo pacto essentialiter fixus, & alligatus, &, vt probamus alibi, nulla res creata alteri creatæ essentialiter alligetur.

43. Similiter non fit ens rationis ab vllo appetitu; appetitus enim fertur in obiectum, secundùm quod est, vel à parte rei, vel obiectiuè in intellectu, in illud esse tendens, non illud sibi faciens; & sicut appetitus etiam dat ipse quoque denominationem obiecti sui ei, quod appetit, tamen non dat illi esse obiectiuè, quod est proprium intellectus, vel cognoscitiuę potentiæ, quæ hoc ipso quod repræsentat rem, quam intelligit, eam quodammodo format, & statuit, quo pacto, & vbi vult; vnde res quantumuis dissitas statuimus, & quodammodò facimus nobis esse coram ante oculos, secundùm illam formam, & habitum, quem illis dare velimus.

44. Vt benè diuiditur ens rationis in id, quod habet fundamentum in re, & quod non habet fundamentum in re, & in Logicum, Physicum, ac Metaphysicũ,

imò & secundùm decem prædicamenta; sic malè diuiditur in ens rationis secundùm quid, & simpliciter: indiuisibilis enim est ratio entis, vnde non potest vlli conuenire secundùm quid; & de facto, quod affirmo esse, cum non sit, in sensu diuiso, esse autem possit, absolutè est ens reale possibile, & si affirmo esse, cum non sit, in sensu composito, est absolutè ens rationis; cum sit simpliciter impossibile. Denominationes extrinsecæ veræ, aliaque huiusmodi dantia fundamentum entis rationis, esto facilè non cognoscas sine ente rationis, tamen absolutè etiam ab intellectu humano cognosci possunt absque eo, quod faciat ens rationis.

45. Cognitio quæcumque formaliter versans circà ens rationis, illudue repræsentans, est absolutè falsa, licet possit esse vera secundùm quid, vel quatenus repręsentat partim ens reale, partim ens rationis, vt hæc propositio, homo non est chimera, vel quatenus nos propter infirmitatem nostram quærentes, & examinantes omnem regionem tùm entis realis, tùm veritatis, ac falsitatis cognitionum nostrarum de ipso impossibili, formatoque iam ente rationis discurrimus: Quo in casu cognitiones nostræ habent esse falsæ quidem simpliciter, cum quod repræsentant verè non sit, vt repræsentatur, sunt

tamen

tamen veræ ex suppositione eius, quod fictum est, seu veræ veritate secundaria; conformantur enim ei esse ficto, & falso, hoc ipso quod cognoscunt, vt fictum, & falsum, & fictas, ac falsas eiusdem proprietates; vnde qui directè cognosceret vera entia realia omnia, ille sperneret vtique cognitionem entis rationis, quæ non nisi error, vel cum errore esse potest.

46. Deus summè sapiens, ac verissimus in omnibus suis cognitionibus, vt verè omnia cognoscibilia comprehensiuè cognoscit, sic non cognoscit formaliter ipse per se ens rationis; Tùm quia, vt non est, sic nec datur eius species propria, & vera, qua cognoscatur: Deus autem non cognoscit per species alienas, tùm quia, quidquid cognoscit Deus, cognoscit in se ipso, suaquemet essentia, quæ est species omnium verè cognoscibilium; at non est species entis rationis, numquid enim Deus est forma similis enti rationis, quod nullam habet formam? Tùm etiam quia, quidquid cognoscit Deus, non solum cognoscit in se ipso, seu se ipso, vt species rerum est, sed & vt in obiecto, & vt contentum in suo esse diuino: vt habent communiter Theologi ex S. Aug. lib. 83. quæstionum, quæst. 46. Non enim quidquam extrà se positum (ait S. Doctor) intuebatur Deus, vt secundum

id constitueret, quod constituebat, hoc est, vt explicat S. Thomas prima parte, quæst. 14. art. 5. nihil intuetur Deus extrà se ipsum, quod non intueatur in se ipso, vnde articulo sequenti vult Deum cognoscere omnia in se ipso non solum in communi, sed secundum quasque differentias, secundùm quod se ipsum perfectè cognoscit, vt continet, & participabilis est ab obiectis extrà se positis. Quas auctoritates non est explicare de entibus tãtùm factibilibus, quasi hæc sola velint SS. Doctores videri à Deo in se ipso, alia extrà se ipsum; planè enim sensus est, quod Deus quæcumque videt, ea prius videt in se ipso, quam in se ipsis; Vnde inuisibile esse a Deo, quod non videt in se, quid enim aliunde emendicet?

47. Neque per hoc ignorat quidquam Deus, quid enim scitu dignum, imò quid prorsus scibile est, quod non sit scibile in Deo, vel ex Deo? & cum ens rationis nonnisi falsò cognosci possit, error est, non cognitio ipsum cognoscere; Neque satis occurritur per hoc, quod dicatur Deus cognoscere speculatiuè non practicè, & non affirmando, quod est ens rationis, sed negando quod sit; Esto enim ista sint maior error, tamen adhuc est error, & falsitatem dicit etiam ipsum speculatiuè tantùm cognoscere ens rationis ad

ip-

ipsummet negandum, quia verè eiusmodi cognitio formaliter accepta, & vt speculatiuè exprimens ens rationis alium Deum, chimæram, &c. est huius, aut illius quasi faciei, & formæ in repræsentando, vt nulli verè obiecto in essendo conformetur, imò vt nullum nec habeat, nec habere possit obiectum, cui in esse conformetur, quod si hæc non est falsitas, nec difformitas, iam difficile erit reperire vllam falsitatem, vel difformitatem.

47. Quod autem aliqui dicunt ens rationis habere aliquod esse diminutum, nempe impossibilitatis, cui conformetur eiusmodi cognitio diuina, hoc falsum est, & gratis dictum, nec per se notum, nec deducibile ex per se notis, & valent contrà huiusmodi esse multa, quæ in simili supra diximus contrà actuale esse possibilitatis, & entium negatiuorum; Multò minus dici potest veram esse cognitionem entis rationis etiam si merè non habeat obiectum, eamque tantùm esse falsam, quæ habet obiectum, sed sibi difforme, hoc enim absurdè dicitur, primo quia, inutilis saltem est ista cognitio ex confessione ipsorum, vt quid enim feratur in non obiectum, & sciat, quod non obijcitur, nec vllo pacto est. Deinde vt proprietas est entis esse verum, &

scibile, sic non entis erit proprietas esse falsum, (vt habetur ex Arist. 3. met. cap. de falso) & non scibile: ergo ne Deus quidem potest cognitione vera scire, quod non scibile est.

49. Et de facto nulla fit apud nos quæstio nec de chimera, quid sit, nec de alio Deo, nec de alijs huiusmodi particularibus entibus rationis, cum non sint digna scitu, nec quidquam sciamus per ea, vnde ista contemnimus; quo modò negligimus cognoscere falsas historias, fabulasque aniles vt tales, quæ tantùm curiosè audimus, si quando veram, ac positiuam contingat adesse prerogatiuam narrandi, aut quid simile, sicut etiam entia rationis quoad aliquid aliquando tractamus, vt possimus cognoscere, quæ circà ipsa sunt, cognitiones.

50. At simpliciter aiunt veræ sunt, & dignæ scitu propositiones, cuiusmodi multæ sunt in scripturis, puta, Non est alius Deus præter me, &c. & quæ passim habentur in scientijs de impossibilitate rerum, Mundus ab æterno est impossibilis, impossibile est infinitum categorematicum, impossibile est idem simul esse, & non esse, Vnde maxima videretur esse ignorantia in Deo, si non cognosceret impossibilia. Sed longè alia veritas est in his propositionibus, quam veritas

ritas entis rationis ; veritatem enim, quam his propositionibus nos attingimus aliqua falsitate infectam, attingit Deus eminentiùs cognoscendo sine falsitate verissimum ens, quod eiusmodi formalibus propositionibus ad nostrum intelligendi modum accommodatis nos tendentes in ens rationis intelligimus.

51. Deus etenim comprehendendo se esse vnicum Deum necessarium, solumque possibilem, cognoscit, quidquid veri nobis explicatur per hoc : alius Deus est impossibilis, idque longè melius, atque directius, quàm nos, & comprehendendo omnia alia possibilia tùm in se ipso, tùm in se ipsis, cognoscit illa omnia, & sola esse, quæ possibilia sint, vnde eminentius, ac melius intelligit quidquid nos veri explicamus, dicentes, Chimerã, Hircoceruum, aliaque huiusmodi esse impossibilia. Et cum, quæ impossibilia sunt, non sint impossibilia in se ipsis, nec per repugnantiam, quam verè habeant, aut dicant, ergo non est huiusmodi impossibilitas in ipsis cognoscenda, imò neque datur impossibilium vlla ratio a priori vel in Deo, vel in alio; vt enim eius, quod non est actu, nulla est actu causa, sic eorum, quæ non possunt esse, nulla propriè est ratio, cur esse non possint. Eodemque modo illud principium,

Impossibile est idem simul esse, & non esse, meliùs cognoscitur per hoc: Quod est, necesse est esse, & hoc est axioma verius euidentius, imò simpliciter verum.

52. Et cognoscit quidem Deus, comprehendit que cognitiones creatas facientes ens rationis, & sic obiecta earum realia, & intelligit loquentes, ac disputantes de ente rationis, ritè comprehendendo omnes rationes reales, tùm locutionum, tùm cognitionum, omniaque obiecta realia; sed non proinde cognoscit obiectum hoc vltimum, scilicet ens rationis, neque vnionem obiectiuam, esto cognoscat formalem, Quod benè notauit Vasquez prima parte, disp. 118., cuius rei ratio sunt, tùm quæ suprà assignauimus, tùm quia, si Deus etiam sic cognosceret ens rationis, ergo exprimeret illud forma cognoscendi vtique non conformi suo obiecto, quod nullam habet formam, vnde cognosceret necessariò specie aliena, & falsa, & non intuitiuè, quod absurdissimum est.

53. Nec valet contra ista, quod cognitio, & locutio sunt essentialiter relatiua ad obiecta sua, & ab ipsis specificantur; Vnde non distingueret Deus vnam ab alia, si earum obiecta non cognosceret: esto enim nos, qui omnia intelligimus com-

comparantes, & abstractiuè, non possimus intelligere relatiua, nisi intellecto etiam eorum termino, in ordine ad quẽ ipsa relatiua distinguimus, & explicamus, attamen Deus, omnisque intellectiuè comprehendens potest comprehendere quamcumque entitatem realem, & quamcumque rationem eius intrinsecam, absque eo quod vllum aliud extrinsecum inde cognoscat; cum enim vniuscuiusque rei essentiæ, & rationes intrinsecæ sint, vt quid ad eas ritè peruadendas extrinseco opus sit? Cognosci enim sequitur ad inesse, vnde si non constituor in esse formaliter per extrinsecum, sic neque per cognitionem extrinseci cognoscar. Et vt euidens est, quod qui comprehendit entitatem, comprehendit omnes rationes eius intrinsecas identificatas, sic nulla est ratio probans, quod comprehendat aliquas etiam extrinsecas, (nempe sermo est hic de rebus creatis:) res enim visa, vt vt relatiua, non est ratio formalis videndi alterum intuitiuè, & qui videt etiam comprehensiuè visionem beatificam Angeli, non ideò videbit intuitiuè Deum.

54. Quæ currunt etiam, vbi comprehensiuè cognoscatur entitas, vt relatiua, quia est quidem essentiale huiusmodi entitati, quod sit ad terminum,

seu quod sit ordo ad terminum, vt cognitioni v.g., quod sit repræsentatiua entis rationis; sed non ideò est his essentiale ly, ens rationis, seu terminus, esto sit essentiale ly, esse ad, & esse repræsentatiuum; Neque verò hinc sequitur, quod ergo Deus neque cognoscat terminos reales cognitionum, vel locutionum, vel relationum; aliud enim est dicere, quòd non cognoscat illos ex his, & verum est; cognosceret enim abstractiuè, & mediatè; quod Diuinæ perfectioni repugnat; Aliud est dicere, quod non cognoscat hæc, & illa realia esse obiecta huius, vel illius cognitionis, relationis, aut locutionis, & hoc est falsum. Hoc ipso enim, quòd omnia cognoscit, & vt ita dicamus, tùm facies rerum, tùm facies cognitionum, per consequens cognoscit, quæ facies, quam faciem repræsentet, quæque terminet; sicut qui simul videt picturam Petri, & Petrum, absque eo quòd discat ex pictura Petrum, videt eam esse Petri imaginem. Proinde distinguit Deus cognoscendo vnam cognitionem ab alia, vt illæ se ipsis distinguuntur essendo; Esto enim verus sit hic modus loquendi, cognitiones, ac relatiua specificari extrinsecè respectu nostri, quatenus nos ab extrinseco termino, vel obiecto speciem, & naturam

earum

earum cognoſcimus ; tamen verè , vt vnaquæque res realiter ſe ipſa intranſitiuè , vel relatiua , vel abſoluta ſit, conſtituitur in ſua ſpecie , & eſſe indiuiſibili , ita intranſitiuè a cæteris diſtinguitur ; vnde qui intuitiuè illas videt , benè habet illas diſtinguere , abſque eo quod ad extrinſecum intueatur, vt de facto nos duas ſtatuas Cæſaris , & Pompei ſatis diſtinguimus merè videndo illas, eſto non videamus earũ obiecta Cæſarem , & Pompeum , non ſolum enim diuerſæ cognitiones ordinantur ad diuerſa extrinſeca , ſed dicunt intranſitiuè diuerſum ordinem intrinſecum, ergo ſatis diſtinguuntur , & ſpecificantur per ſua intrinſeca.

55. Eſſe verò impoſſibile, quod Deus cognoſcat per ſpeciem alienam, & ex alio id , cuius non eſt ipſe ſpecies propria , quodq; non cognoſcit per ſe, videtur manifeſtum ; vel enim ſpecies aliena eſt diſtincta a Deo, & Deus poteſt quidem ipſam videre , at non poteſt per ipſam videre , quippe qui non poteſt vti comprincipio vllo adiuuante ad ſuas intimas , & diuinas operationes vitales , nec vlla res creata poteſt eſſe Deo ratio formalis videndi , imò neque poteſt vlla res creata eſſe Deo ratio formalis obiectiua videndi , cuius ipſe non ſit formalis ſpecies expreſſa , & propria ; vel eſt realiter identi-

ficata Deo, ita vt Deus sit species aliena entium rationis, vt est species propria entium realium, & hoc peius est, ideò enim substituitur aliena cognitio propriæ, quia obiectum aliquo modo cognitum sit, aliquo modo non, vnde melius cognoscendum sit per similitudinem alienæ speciei, quæ euidenter non cadunt in Deo. Impossibile etiam est, quod Deus cognoscat vnum obiectum (quod alioqui non cognosceret per se) ex alio obiecto; tum quia nulla res creata potest esse realiter Deo ratio vel effectiua, vel determinatiua cognoscendi aliud, tum quia vniuersaliter nulla res per hoc, quod cognoscatur, vt loco citato benè Vasquez, alteram intuitiuè obijcit, vtcumque enim simillima est, non est eadem; Et de facto nec ouum, nec aqua B. vt vt simillima, repræsentant ouum, aut aquam C.

56. Quare a primo ad vltimum cognoscit Deus cognitiones, & locutiones veras, & earum obiecta realia, & rationem realē conformitatis inter ipsa, cognoscit verò locutiones, & cognitiones de ente rationis esse falsas, nec videt earum obiectum rationis, & hoc ipso esse falsas, quia nulli videt vero enti conformes, seu quia videt ab omni ente difformes: Neque per hoc minus intelligit, quàm nos, qui loquimur de obiecto ficto, & ipsum exprimimus,

sed

ſed minus errat, quã nos, imo nihil errat: & ſatis perfectiſſimè nos intelligit vel cognoſcentes, vel loquentes, vbi intelligit quidquid verè eſt in locutionibus, & intellectionibus noſtris. At verò ſtandum eſt pro Sapientia Dei infinita, & niſi euidenter ratio euincat ſentiendum eſt ampliſsimè. Certè hoc verum eſt, & non ſtant pro ſapientia Dei, qui faciunt illum cognoſcentem infeliciter, & imperfectè.

57. Ens per accidens plura neceſſariò entia dicit realiter diſtincta, & ſi Metaphyſicè conſideremus contingenter vnũ, vnitate per accidens, ſeu in ordine ad vnitatem extraneam. Habet latitudinem ratio entis per accidens, prout eiuſmodi vnitatem contingentius, vel minus contingenter importat; ſic compoſitum phyſicum, quod eſt ens per accidens, ſi Metaphyſicè ſpectetur, cum accidat alterum ens eſsentiæ alterius, eſt ens per ſe ſpectatum Phyſicè, cum naturaliter componat; magis per accidens ſunt compoſita artificialia, & adhuc magis, quæ componuntur caſu, de quibus, vt per accidens, nulla prorſus eſt ſcientia, cum nihil ſit de ipſis, vt talibus, neceſſaria conſecutione cognoſcere.

CA-

CAPVT III.

De Proprietatibus Entis.

58. NON solum species entis, sed & ratio entis vt sic proprietates habet, & prædicata ipso ente posteriora, licet non minus vniuersalia, eademque positiua, & distincta ab ente, quantum satis est, scilicet ita vt ipsum ens formaliter illa non dicat primò, ast ipsa formaliter dicant primò tum ens, tum aliam rationem prætereà sui constitutiuam, & essentialem.

59. Tres autem sunt principales proprietates entis: Vnitas, Veritas, Bonitas, quæ in tantum dicuntur profluere ab essentia entis, in quantam ex ipso ente perfectissimè cognito habent istæ cognosci, & probari, Vnitas quidem per comparationem ad multa; est enim euidens dari vnum, & multa, antequam constet vel vnitatem esse proprietatem entis, vel quod sit ipsa vnitas; Veritas autem, & bonitas per comparationem ad intellectum, & voluntatem, quatenus etiam si non dicant formaliter, & per se primò ordinem ad intellectum, vel voluntatem, tamen benè sunt explicabiles in ordine ad illa. Vnitas prima proprietas est, cum prius

prius sit indiuisio vt sic, quam indiuisio talis, qualis est veritas; Veritas verò est prior Bonitate, cum prior sit indiuisio, quam conuenientia indiuisorum, in quo stat bonitas.

60. Porrò Vnitas est indiuisio entis in se ipso, seu ratio essendi, secundùm quam eius, quod vnum dicitur, tollitur oppositio ad se ipsum, seu est ipsa identitas realis omnium rationum formalium conuenientium illi, quod vnum dicitur: adeò vt altera sit verè, & essentialiter de altera prædicabilis, & ad illius esse extendatur, nec limitentur ad inuicem ea, quæ vnum dicuntur. Vt enim multitudo, & numerus, cui opponitur vnitas, diuisionem formalem, & realem dicit, & oppositionem, & alteritatem, & disconuenientiam prædicatorum, & limitationem ab inuicem; sic vnitatem oppositas his rationes inuoluere dicendum est.

61. Sic vnus est Deus simpliciter, & absolutè, quia, quidquid est naturæ Diuinæ, est indiuisum, etiam si sit commune omnibus personis, nec oppositionem dicit, aut limitationem suarum naturalium perfectionum ad inuicem, ita vt verè prædicatione reali sit alteram negare de altera. Sic contrà non sunt vna Persona Tres Diuinæ Personæ propter rationem oppositam, sic vnus est Angelus,

verbi gratia, vna anima Petri, vna v. g. hæc pars materiæ, hæc forma ignis, vel saxi, vel auri, & si quæ huiusmodi, & contra non est vnus simpliciter, & Metaphysicè, seu vnum ens hic homo, hic equus, hic populus, sed multa entia, & ex multis singillatim composita.

62. Vnde, qui definiunt vnitatem veram, & realem Entis esse indiuisionem in plura talia, quale ipsum est, malè definiunt, cum sic indiuisa sint etiam, quæ multa sunt, omnesque collectiones multorum, hic enim exercitus, & populus, & numerus sunt singillatim indiuisibilia in talia, qualia ipsa sunt, & tamen non sunt absolutè vnum verum ens, sed multa simpliciter entia sunt, esto vnus exercitus, vnus populus, vnus aceruus vnus rigorosè, & vnum simpliciter ens vnitate extrinseca dici possit. Male item dicitur vnitas esse indiuisio in se, & diuisio a quolibet alio, cum diuisio non stet in vno: nisi accipiatur inadæquatè, quo modo est etiam explicandum illud principium: constitutiuum, & distinctiuum sunt idem.

63. Illud verum est, multipliciter dici vnum, vt multipliciter dicitur ens; vnde sicuti ad perfectam cognitionem entium oportet ad entia specialiora descendere, sic ad perfectam cognitionem vnitatis,

varíam

variam ipsius vnitatis acceptionem explicare necesse est: Est enim vnitas realis, & rationis, singularis, & vniuersalis, naturalis, artificialis, aggregationis; de quibus omnibus illud absolutè dicere est, quod suprà illam rationem entis, quam dicunt, nullam addant simpliciter negationem nec fictam, nec realem, quæ vt non est in rebus, nec apta constituere vllam rationem essendi, sic neque est necessaria intelligi ad hoc, vt ipsa vnitas, vel quod est vnum, vt vnum intelligatur.

64. Prima omnium vnitatum est vnitas realis, & singularis, quam hic numero 60. definiuimus, & quæ absolutè, & simpliciter est proprietas veri, ac realis entis; nihil enim expectat, vt sequatur ad id, quod est ens; sed hoc ipso, quod verè existit, dicit hanc vnitatem, & impossibile est, quod existat vllum ens, & huiusmodi vnitatem non dicat; Sic hoc ipso quod Deus est, Vnus est, & hoc ipso quod Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus est vnus Pater est, vnus Filius, vnus Spiritus Sanctus, & loquendo de ente creato potest quidem esse ens, & non esse numerus, vel compositum, nec Angelus, nec aqua, & si quæ huiusmodi: At non potest esse ens, & non esse vnum hoc genere vnitatis; quam necessariò

im-

imbibunt etiam, quæ multa, & composita sunt, cum non nisi multa, & composita sint; quia dicunt huiusmodi plures vnitates reales, & singulares; Vndè benè huiusmodi vnitas realis, & singularis habet dici prima tum vniuersalitate, cum conuertatur cum ente, cum quo aliæ vnitates non conuertuntur, tùm subsistendi consequentia, cum benè sequatur ex eo, quod sit ens reale simpliciter, & absolutè, & esse vnum hoc genere vnitatis, vt non sequitur esse vnum vllo alio genere vnitatum.

65. Hæc ergo vnitas, quæ est proprietas entis, addit suprà rationem entis rationem indiuisionis actualis, quæ eodem modo conuenit omnibus rebus a parte rei vel diuisibilibus, vel indiuisibilibus, saltem quo ad oppositionem, quam dicit cum diuisione, & multitudine, esto quo ad ipsam identitatem facilè conueniat analogicè ijs, quæ sunt vnum indiuisibiliter, & quæ continuatiuè, ac diuisibiliter vnum sunt. Sed vltrà hanc rationem vnitatis est prætereà ratio hæceitatis, quæ & ipsa vnitatem dicit, seu supponit; non enim habet esse hic, qui multa est. Hæc ratio alia, & alia est in quibuslibet entibus, non verò eadem, sicut vnitas vt sic, proinde nec est proprietas entis, cum ad rationem entis eadem

dem non ſequatur, imò nec ſequatur ad rationem talis entis, non enim quia ſubſtantia, eſt hæc, vel illa, nec quia corpus, hoc, vel illud eſt.

66. Et inde etiam patet hæceitatem non eſſe proprietatem entis, quia per ſe primò nota eſt ſaltem in confuſo, & quo ad quod eſt; nemo enim dubitat, quod Petrus ſit hic homo, vel hoc corpus, vel hoc ens, ſed certò ſcit, & tamen ex nullo aut ſpecie, aut genere, aut principio habet deducere. Porrò in ſpiritualibus prorſus indiuiſibilibus hæceitas vnius dicit rationem obiectiuam diuerſam ab hæceitate alterius; Gabriel enim a Raphaele hæceitatibus differt, ita vt ſit alius ſpiritus, alia ſubſtantia, alius Angelus: ab illo non in ratione ſpiritus, vel ſubſtantiæ, vel Angeli vt ſic, ſed in hac vltima, non magis explicabili (eſt enim ſimplex) ratione eſſendi huius, vel illius.

67. At verò hæceitas materialium, diuiſibiliumque entitatum (vt benè habetur ex S. Thoma, & malè a non paucis explicatur, & impugnatur: principium indiuiduationis eſſe materiam, ſeu ipſam diuiſibilitatem, cum in his habeant ex diuiſione, vel diuiſa productione multiplicari indiuidua) hæceitas inquam huiuſmodi, aliud non dicit ſuprà ratio-

nem specificam realis entitatis vnius, vel alterius speciei, quàm certam ipsam, ac determinatam entitatem limitatam, & diuisam ab altera, vt in de quantitate explicari solet: & fortasse alio loco trademus.

68. Post has vnitates sequitur vnitas, naturalis compositis naturalibus, iisque substantialibus, vel accidentalibus conueniens, quæ consistit in intima præsentia actus, & potentiæ, vt in physicis de composito, notauimus. Inde vnitas artificialis, qua per aggregationem partes certo ordine ad inuicem copulantur, tum casualis, quæ meram aggregationem dicit. Quibus vnitatibus, (vt etiam cæteris, si quæ alia, cum multa sint, denominentur vnum) illud est commune, quòd conueniant collectioni intransitiuè plurium verè distinctorum, per denominationem ex trinsecam ab vnitate simpliciter sic dicta, hoc est, ab aliquo vno simpliciter, & intransitiuè vno, puta loco, fine, vel effectu, & si quæ huiusmodi: non enim in creatis potest vnum simul esse multiplex vera, & reali multiplicitate, nisi quod est verè multiplex, sit vnum per denominationem extrinsecam, vt, si est verè vnum, potest esse ab extrinseco multiplex. Quod enim Personæ Diuinæ sint realiter ab inuicem di-

distinctæ Personæ, & vnus tamen Deus propter vnitatem naturæ, quibus singulæ identificantur, peculiare est hoc Sacrosanctæ Trinitatis mysterium.

69. Est etiam Vnitas Vniuersalis, seu naturæ, & essentiæ a differentijs specificis, vel singularibus contradistinctæ, seu abstractæ, quæ similiter vnitas non est intrinseca rebus ipsis, & naturis, quæ a parte rei sint vniuersales; Sed est extrinseca, & mera vnitas cognitionis plura inadæquatè, & indistinctè cognoscentis, secundùm quòd in hoc, aut illo gradu essendi conueniunt. Qua vnitate rationis, & multitudine naturarum, & graduum Metaphysicorum constituitur vniuersale, hoc est vnum aptum inesse pluribus, quod ideò a parte rei non datur ante operationem intellectus.

70. Impossibile enim est, quod ea, quæ sunt realiter, & adæquatè ex suis intrinsecis plura, eadem sint vnum vlla vera vnitate, vel appelletur conuenientiæ, vel formalis, non enim Petri, & Pauli etiam, vt abstrahentium ab vnitate singulari, tamen ideò est vlla vera, ac positiua vnitas, esto vt sic neque habeant positiuam rationem distincti, nam quæ non sunt plura, per hoc merè, quòd non sint plura, formaliter tantùm non sunt plura, non verò sunt positiuè vnum,

etenim

etenim non esse plura non dicit rationem vnitatis, si præcisè res accipiatur.

71. Huiusmodi vnitas vniuersalis alio titulo Vniuocatio dicitur, quæ enim vniuersalia, eadem, & vniuoca sunt in aliqua tandem ratione, secundùm quod vniuersalia sunt, proinde & ratio entis abstractissimè sumpti, vt planè omni vero enti commune est, vniuocè dicitur, neque tollit hanc vniuocationem, aut ratio dependentiæ creati ab increato, aut ratio substantiæ, & accidentis, aut quia imbibatur in differentijs. Satis enim est ad rationem vniuoci, quòd ipsum non imbibat differentiam vllam; at non requiritur, quòd ipsum non inuoluatur in differentijs; Ratio enim viuentis, & aliæ plures ex communi sententia, vniuoca est, & tamen imbibitur in ratione uegetantis, intelligentis, sentientis, quæ eius differentiæ sunt. Porro ens esse uniuocum suadet etiam ipsa summa eius simplicitas.

72. Quod si multipliciter dicitur vt sanum, hoc verum est, si accipiatur, vt dicitur vel de ente contracto, vel de abusiuo ficto scilicet, & negatiuo; Vt enim sanum vniuocè dicitur, prout de sanitate animalis, analogicè autem prout & de hoc, & de pulsu, & de aere, & de medicina, ità contingit in prædicatione

essendi; cum quibus tamen stat, quod a parte rei non detur nisi unitas realis, & singulatis, quæ in tantum dicitur proprietas entis, non in quantum ens ut sic habeat huiusmodi unitatem, cum ut sic non habeat nisi unitatem rationis, & extraneam, sed in quantum, quod a parte rei unum est unitate singulari, non est unum, quia animal, vel quia corpus, vel quia accidens, sed quia ens, benè verum est talem vnitatem sequi ad tale ens, Vnde Petrus non solum est vnum ens, sed vna substantia, vnum viuens, & sic de singulis gradibus, ad quos non est mirum sequi rationem talis vnius, cum talia entia sint,

73. Benè habet Arist. 5. metaphysicæ, cap. 29. falsum esse, quod non componitur, aut quod impossibile est componi, & hæc esse non entia, & rursum, quæ, & si sint ens, tamen apparent quæ, vel qualia non sunt; Vnde tanquam ex notiore facilè est definire veritatem, quod sit ipsa entis cum propria sua natura formalis compositio, seu ipsa habentia, ac ratio habendi propriam suam essentiam, seu tandem ipsa formalis identitas obiecti realis confusè cogniti, cum ipsa eiusdem essentia distinctè cognita.

74. Sicut enim falsitas in opposita non compositione consistit, & Hircoceruus

est ens falsum, quia non componunt illa, nec possunt componere, & Solem esse minorem Luna est ens falsum, quia non componit cum tali minoritate, esto possit componere, & Auricalcum, licet sit auricalcum verum, est tamen aurum falsum, quia esto appareat, tamen non componit cum essentia auri; Sic vera erunt entia, quatenus intelligentur cum propria sua essentia componere, & Petrus erit verus homo per hoc, quòd cum animalitate, & rationalitate componat, & Leo verus Leo per hoc, quod componat cum animalitate simul, & rugibilitate; Et verò intelliguntur componere per hoc, quod concepta in confuso tanquam subiecta habeat de ipsis eorum essentia prædicari, & compositione intellectuali componere cum ijsdem.

75. Neque verò hinc sequitur veritatem, & vnitatem entis eandem esse rationem formalem, cum vtraque in identitate consistat; Nam longè aliud est dicere identitatem vt sic, seu indiuisionem, & compositionem graduum vt sic, aliud dicere identitatem, & compositionem subiecti confusè cogniti cum propria essentia. Non item dicit Veritas ordinem ad intellectum, quasi esse verum ens sit ipsum esse conforme alicui, quicumque tandem sit ille, intellectui.

Licet enim certum sit, quod hoc ipso, quod aliquod est verum ens, est etiam conforme intellectui vero, maximè Diuino, tamen hæc conformitas est potius proprietas veritatis transcendentalis, & veritas prædicamentalis nec tota intrinseca enti vero: & antecedenter ad hanc conformitatem ipsum ens cum propria natura formaliter componit, in qua compositione vel inde probatur consistere veritatem entis, quod de facto, quæcumque dicimus esse vera entia, verum aurum, verum æs, sic dicimus, & probamus, in quantùm cum propria essentia per prius distinctè cognita intelligimus verè componere.

76. Quod si falsitas tum non entium, tum apparentium, dicit essentialem ordinem ad intellectum, seu potius denominationem extrinsecam à falsitate per prius intellectus, nam non entia non sunt nisi intellectu fingente, apparentia verò de se falsam compositionem non dicunt, sed tantùm, vt falsò supponit intellectus, cui apparent, non tamen idem de veritate dicendum est, quia potiùs vt opposita illa est falsitati, sic dici debet oppositum, ipsam scilicet dari in rebus antecedenter ad intellectum; esto, quatenus habet hanc appellationem veritatis, possit dici sortita esse nomen a veritate intelle-

ctus, per prius cognita distinctiùs, & nominata.

77. Pari passu, sicut omne ens est vnum, ac verum, est etiam bonum; Et bonitas entis absolutè sic dicta est ipsa conuenientia formalis entis secundùm suas rationes formales, secundùm quam & ipsæ benè habent ad inuicem, & nulla deficit, quæ debeatur, nulla superaddita est, quæ repugnet. Ex vna enim parte, si ens hac ratione non est bonum, nulla ratione bonum est; Ex alia hic est verus conceptus bonitatis, & manifestè omni enti conuenit, hoc ipso quod est; Imò sicuti malum consistit in opposita disconuenientia, benè dicitur bonum in hac conuenientia consistere; & sicuti, quę bona sibi sunt ad inuicem bonitate respectiua, ea bona sunt propter dictam conuenientiam; Sic per consequens in tantum ens bonum erit secundùm se, in quantum dicit hanc rationem formalem conuenientiæ in se ipso.

78. Sic melius explicatur bonitas, quàm si dicatur consistere in approbatione quadam entis obiectiua respectu voluntatis creatæ, vel diuinæ, seu in conuenientia cum eiusmodi voluntate; Hæc enim potius est relatio bonitatis respectiuæ, & conformitatis, quàm ipsa absoluta bonitas entis, qua bonum est in se ipso.

Porrò

Porrò bonitas, & veritas conueniunt enti aliter, quam vnitas; namque vnitas vera, & realis non est prædicabilis de ente abstracto, & vniuersali, cum illud verè a parte rei sit multa, seu multæ vnitates, & vnum tantùm extrinsecè. At verò tùm veritas, tùm bonitas sunt prædicabiles tùm de ente vniuersaliter accepto, tùm de accepto in singulari: in vtroque enim statu sunt vera bonitas, & veritas.

79. Habet ens alias proprietates præter dictas, cuiusmodi sunt distinctiones, & oppositiones relatiuæ; quæ & si adæquatè plura sunt, tamen inadæquatè saluantur etiam in vno, vt infrà de distinctione, & relatione dicemus. Illud verum est, quòd hæ tres tantùm præcipuæ nominantur proprietates entis, quia sunt manifestius saltem eædem in omni ente, tum quia enti conueniunt adæquatè, & vt in se ipso spectato, tum quia notiores sunt, & per omnes ferè disputationum sinus peruadunt; magna enim quæstionum pats de vno, & distincto, de vero, & falso, & de perfecto saltem implicitè tractat; tum demum, quia cæteræ proprietates ali js, quàm in de ente quæstionibus, iam vsu recepto explicari solent.

80. Prædicabilitatem entis hic placet adnectere, quippe quæ ad vniuersalitatem eius, & cognoscibilitatem sequitur;

licet enim prædicatione identica, & denominatiua sit prædicabile non minus singulare, quam vniuersale, tamen solummodò vniuersale est prædicabile prædicatione formali, & essentiali; Est autem prædicabilitas non tantùm cognoscibilitas vt sic; sed cognoscibilitas, vt inexistentis in alio.

81. Et quoniam quinque modis tantùm possunt alia cognosci inexistere in alio (cognitionibus scilicet Metaphysicis, & procedentibus a priori) nempe vel per se, vel per accidens; & quæ per se, vel ita vt sint pars essentiæ, vel tota essentia, vel proprietas sequens, & si pars, vel qua cum alijs conuenit, vel qua differt; hinc est, quòd quinque benè dicuntur esse prædicabilia, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens.

82. Prima quatuor prædicabilia prædicantur per se, & necessariò, & non denominatiuè (loquimur enim de proprio strictè sumpto) accidens prædicatur contingenter, & prædicatione denominatiua non essentiali: Neque verò in prædicatione amittunt vniuersalitatem secundùm modum cognoscendi, esto quodammodò amittant secundùm rem, & obiectiuè.

83. Ratio autem, cur tantùm genera, & species, & indiuiduum dicantur sub-

stan-

ſtantiuè, & in quid, ea eſt, quia Metaphyſicè procedendo prima notio, quæ habeatur, eſt entis, quod autem primum eſt, illud per ſe eſt, nec alteri aduenit, ergo quod primò cognoſcitur tamquam per ſe ens, & ſubſtantiuè ſtans cognoſcitur, & hoc eſt vniuerſaliſſimum, & ſimpliciſſimum, & per conſequens genus maximum. Quoniam verò diuidendo ens huiuſmodi per differentias ipſæ differentiæ intelliguntur enti aduenire, ſed ita tamen vt contrahant, ipſum, & conſtituant vnum tertium per ſe; hinc eſt quod ipſæ differentiæ cuiuſcumque generis dicuntur in quale quid, & ſpecies conſtituta vel ſubalternata ſit, vel infima, dicitur & ipſa in quid, ac ſubſtantiuè, propterea quòd iam ſit etiam ipſa vnum per ſe; Vt contrà proprium, & accidens abſolutè dicuntur in quale, quia abſolutè, & ſimpliciter cognoſcuntur aduenire, & eſſe poſteriora ipſa eſſentia per ſe; & rurſum dicitur in quid indiuiduum, quia & ipſum immediatè, & primò cognoſcitur cognitione confuſa, vt ens eſt primum, quod cognoſcatur cognitione diſtincta.

84. Et licet nec ſpecies Phyſica, nec pars Metaphyſica, vt per modum partis, benè prædicetur de toto; non enim dicitur Petrus eſt manus, vel eſt anima-

litas, benè tamen prædicatur tùm hæc, tùm illa in concreto, vel reali, vel Metaphysico, vt Petrus est manuatus, Petrus est animal. Et ratio cur ista ritè prædicentur in concreto, est quia verè subiectum est, etiam quo ad modum cognoscendi, habens eam formam, quæ in concreto prædicatur. Quoniam autem eiusmodi prædicabilitas partim sequitur ad inesse, partim prouenit ex nostro modo cognoscendi, & distinguendi, hinc est, quod in definitione huiusmodi prædicabilium, Generis, Speciei, Differentiæ, &c. definitur semper natura quidem vniuersalis, idest multæ naturæ abstractæ a singularibus ipsis, tamen realiter identificatæ, & vt cognoscibiles, quod identificentur.

85. Et natura quidem indiuidua, immultiplicabilisque non habet rationem speciei, nec differentiæ, nec proprij, nec accidentis, nisi inadæquatè tantùm, quatenus est abstrahibilis a singularitate. Vnde etiam natura abstracta, & communis, ac multiplicata in pluribus, quatenus sub genere est, non est propriè, & completè species, cum dicat quidem abstractionem, & vnitatem, sed non tamen vniuersalitatem, ac prædicabilitatem de pluribus; eodemque modo saluaretur quidem diuersitas essentiæ vl-

trà

trà indiuidualem, si darentur, qui differrent prædicatis essentialibus distinctis ab indiuiduatione, & inmultiplicabilibus, at ea non est in rigore, & adæquatè differentia specifica.

§. 86. Proprium Metaphysicum est ratio, & gradus essendi realiter identificatus, & essentialis entitati, cuius est proprium; in tantùm tamen dicitur accidentale, & oriri ab essentia, in quantùm vel oritur secundùm nostrum modum cognoscendi, hoc est, ex cognita essentia probatur, vel etiam præcisè, quia ipsa essentia nobis notior sit illo. Accidens autem benè per hoc dicitur adesse, & abesse præter subiecti corruptionem primò secundùm prædicationem, quatenus, quod accidens est alicui subiecto, illud non perimit si prædicetur de ipso, vel si ab ipso prædicatione tollatur (perimere autem secundùm prædicationem est constituere ens falsum simpliciter, seu contradictorium; quomodo si quis de Deo prædicaret, quod esset iniustus, vel negaret quod esset misericors:) Vnde benè etiam mors dicitur accidens, vel enim neges, vel affirmes de Petro quod sit, vel non sit mortuus, vt & quod sit, vel non sit vulneratus, non tamen perimis naturam, & verum esse quidditatiuum Petri quo ad cognoscibilitatem, & præ-

dicationem eius. Sed verificatur etiam hæc definitio accidentis Physicè, nullum enim accidens perimit subiectum a quo tollitur, vel cui aduenit, & in quo verè, ac realiter inhæsiuè, non tantùm denominatiuè recipitur, seu etiam a cuius inhæsione tollitur.

CAPVT IV.

De distinctione Entis.

87. Distinctionem inter Entia dari tàm certum est, quàm certum est Petrum esse alium à Paulo; Illud non placet, quod dicatur in negatiuo consistere: negationes scilicet suas sequi ad ens: & non esse Petri, vel Bucephali sequi ad esse Pauli; hoc enim si admittimus, iam arbor bona malos fructus facit, nempe ens erit radix non entium, quasi proprietatum suarum. Erit etiam difficile assignare cur ad naturam Petri antecedenter, quàm sit hic, sequatur potius negatio Pauli, vel Ioannis, & non potius negatio Petri; vt enim, homo antequam distinguatur à lapide, est per prius homo, sic Petrus erit per prius Petrus antequam distinguatur à Paulo.

88. Sed etiam aliunde iam nobis certum

tum eſt diſtinctionem non conſiſtere in negatiuo, cum ne dentur quidem negationes veram habentes eſſendi rationem à parte rei; Eſt ergo ratio poſitiua, quæ ne in vno quidem ſaluatur; vt enim, ſi daretur vnum tantùm ens, tunc verè non exiſteret vlla diſtinctio, ſic etiam ſi iam dantur plura entia, non tamen ideò diſtinctio conſiſtet in aliquo vno, qui potius opponitur multitudini, ac diſtinctioni; Et certè qui intuitiuè videret vnum Gabrielem, & omnes intranſitiuas rationes eius, per has tamen non videret ipſas vel ipſum diſtingui à Raphaele, quem vtique hoc ipſo non videret.

89. Adæquatè ergo diſtinctio eſt realiter ipſa plura diſtincta; formaliter verò eſt ipſa pluralitas diſtinctorum, ſeu ipſum eſſe hoc, & illud, vtrumque ſuos intrà limites proprij eſſe, vt dicit fundamentum oppoſitionis realis, quæ ſemper inter realiter diſtincta reperitur, vel ſit producentis, & producti, vel productiui, & producibilis, vel menſuræ, vel conuenientiæ, vel diſconuenientiæ, & ſi quæ alia huiuſmodi; quæ oppoſitiones, licet vt plurimum appellent eſſentiam, aliosque gradus Metaphyſicos diſtinctorum, & non ſolum hæceitatem eorum; tamen non illam appellant vt ſic, ſed vt ſimul cum his, & his gradibus, non enim

esset vera, & realis v. g. similitudo inter risibilitatem Petri,& Pauli, vel dissimilitudo inter rationalitatem horum, & animalitatem Leonis, nisi inter ista daretur distinctio realis, à qua distinctione non abstrahunt etiam vt oppositæ sunt, cum oppositio dicat necessariò ordinem duorum ad inuicem.

90. Sed quæstio est, quot genera distinctionum inter entia verè à parte rei dentur. Exclusa formali, & modali, solam realem admittimus: Et formalis quidem, præter quàm quòd non est solidum eius indicium, videtur etiam repugnare, quia est contradictio, quod aliquid sit à parte rei intrinsecè aliqua vera distinctione multiplex, & rursum item intrinsecè sit vnum aliqua vera vnitate. Vnde enim erit vnum? An quia illa sic distincta formaliter sunt inseparabilia? sed inseparabilitas nō constituit vnitatem inter iam intrinsecè, & verè distincta; sunt enim inseparabiles Personæ Diuinæ, & tamen adhuc sunt distinctæ realiter personæ, non verò vna persona: Et ratio inseparabilitatis vt sic non est ratio formalis vnitatis, neque est fundamentum, vel argumentum ipsius, nisi sit etiam argumentum indistinctionis. Imò si admittitur vera distinctio inter rationes formales creatarum rerum; de multis, puta in-

intellectu, & voluntate, risibilitate, & rationalitate, alijsque similibus erit difficile probare inseparabilitatem Metaphysicam.

91. Neq; eiusmodi formalitates erunt vnum verè, ac realiter, quia existant vnica realiter existentia, quæ enim consequentia, & quo principio probatur; existit rationalitas, & risibilitas vnica realiter existentia, ergo licet ipsæ verè distinctæ sint, sunt tamen adhuc vnum realiter. Deinde num Personæ Diuinæ multiplici existentia existunt, quæ cum non dicat formaliter relationem, non multiplicatur in Diuinis, & tamen Personæ Diuinæ sunt verè distinctæ realiter, licet vnica existentia absoluta existant, sed vnde habetur vnicam esse realiter existentiam rationalitatis v. g., & risibilitatis, cum ipsæ duæ rationes essendi sint, nec, vt suprà vidimus, distinguatur esse ab existere.

92. Est etiam illud difficile, quod existentia rationalitatis, & animalitatis in Petro sit vna formaliter, cum sit tam diuersarum rationum existentia, & certè est existentia rationum magis diuersarũ, prout est existentia animalitatis, rationalitatis, Petreitatis, aliarumq; huiusmodi, quam sit rationum diuersarum existentia, quæ Petri, & quæ Pauli, quæ tamen

distin-

distinguuntur realiter, licet tantùm diuersæ hæceitatis sint; Quod si nec est probare, quod existentia duarum formalitatum sit vna realiter, vel formaliter, nec quod duæ formalitates vna existentia existant, nec sequatur ab vna existẽtia identitas realis inter verè distincta; Vnde ergo duæ formalitates sunt vnum realiter, distinctæ tantùm formaliter?

93. Non item duo verè, & intransitiuè distincta sunt vnum, quia non dicant oppositionem ad inuicem producentis, & producti, nec aliam realem oppositionem; primum enim vnde probatur requiri inter distincta realiter oppositionem producentis, & producti, vel productiui, & producibilis. Secundo si verè rationalitas, animalitas, & risibilitas distinctæ sint, vnde probatur alteram non oriri ex altera, si maximè de proprietatibus essentiarum sermo sit, quæ ab essentijs fluere dicuntur. Et productionem terminari ad existentiam euidens est admisso existentiam à reliquis gradibus non distingui, at admisso ipsam distingui, iam non est euidens: & vnde probatur? Et de facto nouas resultare (aiunt, non produci) formalitates non pauci formalistæ admittunt.

94. Alias verò oppositiones relatiuas similitudinis, æqualitatis, & proportio-

num

num dari inter formalitates, ſi verè admittantur diſtinctæ, tàm manifeſtum eſt, quam manifeſtum eſt dari inter alia, ſicuti enim melior eſt rationalitas hominis rugibilitate Leonis, ſic minor eſt riſibilitas rationalitate eiuſdem; ſi enim dicatur non referri iſta, nec opponi relatiuè, quia non diſtinguuntur realiter, an non videtur manifeſta petitio principij?

95. Probari etiam poteſt ſequi ex admiſſa diſtinctione formali proceſſum in infinitum; imò infinitas numero dari actu formalitates, quæ impoſſibilia eſſe alibi docemus, & partes quantitatis actu diſtingui, & conſtare ex indiuiſibilibus Phyſicis, vel Mathematicis, & non pauca ſimul ab inuicem formaliter diſtingui, ac non diſtingui, pluraque alia huiuſmodi, quæ alterius iam ſunt inſtituti, & prolixioris indaginis.

96. At homo eſt ſimilis cani animalitate, diſſimilis, ſeu non ſimilis rationalitate, idque à parte rei, ergo duo aliquo tandem vero modo ſunt ea, quibus idem homo eidē cani eſt ſimilis, & non ſimilis. Dico quod ſicuti vnica eſt ratio hominis realis, & vnica ratio canis (& ſi placet ſumamus animā ſolam vnius, & alterius conſideratas intranſitiuè ſecundùm ſuam tantùm ſubſtantiam) & quod eſt huius hominis, & huius canis, & per conſequens

guens vnica eſt relatio realis inter ipſos.

97. Iam verò ſicut ea, quæ ſunt realiter vnum habemus tamen diſtinguere ratione in plures gradus, ita relationem, quam vnum, & vnum habent ad inuicem, diſtinguimus in varias relationes diuerſimodè nominantes (ſimilitudinem, diſſimilitudinem, æqualitatem, inęqualitatem, proportionem, & ſi quæ huiuſmodi) eandem relationem, ita vt pluribus nominibus relationum inadæquatis ſignificemus eandem ſimplicem, & vnicam relationem, vt pluribus item nominibus graduum Metaphyſicorum idem, & vnum eſſe ſignificamus, quæ vnica relatio nomen non habet, vel quia excogitata non eſt, vel quia ſatis cæteræ nominantur.

98. Et eſt ſimilitudo, & diuerſitas, aliæque proportiones in vno, & eodem à parte rei, ſed non ſunt à parte rei diſtinctæ, & licet non poſſit idem eſſe ſimile adæquatè, & adæquatè diſſimile, tamen benè poteſt eſſe idem ſimile, & diſſimile inadæquatè, quòd eſt vnicam vnius entitatis relationem eſſe huiuſmodi, vt ſit ratione diſtinguibilis in has duas ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, vel alias etiam plures; neque tamen inde idem eſt à parte rei ſimile, & non ſimile, vt manifeſtum eſt.

Quòd

99. Quod si gradus Metaphysici vnius, & eiusdem diuersimodè definiuntur, inde est, quia non definiuntur definitione adæquata, quæ nobis paulatim res cognoscentibus plurimùm impossibilis est; Esto enim non possit idem indiuisibile ens reale, & indiuiduum, puta idem Angelus diuersimodè cognosci, ac definiri diuersa cognitione sui adæquata; benè tamen potest diuersa inadæquata, sicuti potest vnum, & idem fieri diuersis actionibus partialibus inadæquatis, esto non possit, saltem semel, fieri adæquatis diuersis, ratione scilicet termini.

Non item suadet distinctionem formalem pluralitas specifica effectuum prodeuntium ab vna realiter entitate; Licet enim verum sit existere perfectionem, virtutemque effectricem in principio ipsorum plurium effectuum, imò in eodem esse etiam rationem diuersitatis eorum; tamen hinc non sequitur esse in huiusmodi principio rationes diuersitatis distinctas, & vt diuersa principia faciunt vnum, & idem totum, ita vt totum sit à singulis partialiter concurrentibus; (Non enim alius facit hanc formalitatem, alius illam, alioquin esset in aliqua creatura aliqua formalitas, quam non fecisset Deus.) Sic bene potest vnum totum facere diuersa non operando erga

sin-

singula totali sua virtute, esto operetur circà eadem totum.

100. Sic eadem Anima rationalis esto vel intelligat, vel velit, vel admiretur, vel audiat, semper tota operatur (hoc est toto illo ente, quod vnum varijs distinguentes appellamus nominibus) scilicet intellectu, ac voluntate, &c. ; & tamen non semper aut vult, aut intelligit, aut admiratur, vel audit ; quia non est admiratio, vel volitio quodcunque procedit ab eo, quod volitiuum, vel admiratiuum est. Non item petitur distinctio, vel diuersitas huiusmodi actuum ex mero obiecto, in quod tendunt, sunt enim diuersi ipsi intransitiuè per se, realiterque distincti, quam diuersitatem, & si non cognoscimus, nec in ordine ad distinctum intrinsecè principium, nec in ordine ad intrinsecè distinctum obiectum, tamen euidenti experientia vitali cognoscimus, hoc ipso quod admirantes, vel audientes, vel intelligentes, certè aliter, & aliter sentimus nos operari.

101. Sola ergo cadit inter gradus Metaphysicos distinctio rationis, quam ratio ipsa facit præ sua cognoscendi imperfectione, propter quam distinctis rationibus, seu, quod idem est, intellectionibus entitatem à parte rei non distinctam considerat; vt, quam vnica non potest, multipli-

tiplicatis cognitionibus, & comparationibus, & quasi hinc inde negotiationibus cognoscere possit perfectiùs. Vnde gradus Metaphysicos ratione distinguere, est pluribus specie diuersis, & inadæquatis cognitionibus aliquod vnum obiectum attingere.

102. Non quasi ex parte obiecti aliquid eius attingatur, aliquid non attingatur, vt enim obiectum indiuisibile intrinsecè essentialiter est, in quantum ipsam essentiam dicit, sic non potest non indiuisibiliter, & totum attingi, hoc ipso quod attingitur; sed inadęquatis cognitionibus in tantùm attingitur, in quantùm ita consideratur totum, vt tamen non totaliter penetretur; sed alijs, alijsque diuersæ notæ, & quasi formæ cognitionibus habeat melius cognosci. Porrò tota hæc distinctio extrinseca est ipsi obiecto per denominationem à distinctis cognitionibus, esto quodammodò appareat intrinseca, & videamur vnum gradum sine alio cognoscere, propterea quod intellectus noster non solum exprimit formaliter, quæ intelligit, sed eadem quodammodò format, & effingit obiectiuè, vbi maximè alienis speciebus vtatur; Vnde appareat existere in obiecto, quæ ipse exercitè distinguendo quasi fingit esse distincta.

103. Et

103. Et verò gradus Metaphyſicos diſtinguimus modò in ordine ad diſtinctos realiter effectus eorum, vt voluntatem, & intellectum in nobis, miſericordiam, & Iuſtitiam in Deo: modò in ordine ad conſimilia diſtincta, vt vim intellectiuam, & intellectionem Dei, quem vnicum puriſſimum actum diſtinguimus ratione per ſimilitudinem ad noſtram potentiam intellectiuam, & intellectionem, modò propter meram cognitionis inadæquationem, quo pacto rationem entis, vel indiuiduationis, & vnitatis, & ſi quæ alia huiuſmodi à reliquis habemus diſtinguere.

104. Neque ad iſta facit difficultatem; quod, ſi quis, cum cognoſcit rationale, attingit etiam animal, & riſibile, & admiratiuum aliquo tandem modo; Vnde nam tamen ſciat tantùm rationale, cætera verò neſciat, an ſit animal, an riſibile, an admiratiuum? Contrà enim eſt, quia idem eſſet dicere de quinque cauſis partialiter facientibus, puta aurum, ſingulæ enim faciunt totum, & omnes eius gradus, puta gradum entis, ſubſtantiæ, corporis, mixti, auri, & ſi quæ huiuſmodi, & tamen nec eſt aliquid in ipſo eſſe auri, quod ſingulæ cauſæ non faciant partialiter, & quidem ita vt vna cauſa ſe habeat erga aliam partialitatem,

quam

quam facit altera æquè, ac si non faceret, hoc enim est de ratione attingentium aliquid partialiter, & partialiter, quod longè diuersum est, ab eo quod sit attingere partem, & partem.

105. Modalis distinctio, vel entitas non est vsui, nec solidam eius necessitatem habemus; vt enim prima facie saluat ea, quibus astruitur, at saluari ipsa non potest; Vel enim entitas modalis ita distinguitur ab entitate reali, vt tamen etiam realiter identificetur cum eo, quod modificat, vel vt nihil identificetur, sed prorsus distincta sit esto non realiter, quatenus non est entitas realis, sed modalis tantùm; Si dicitur primum, quæ est aliquorum opinio, valent contrà proportionaliter, quæ dicebamus contrà distinctionem formalitatum, quæ, si intransitiuè aliqua vera distinctione distinguuntur, non erit afferre vllam rationem, vnde identificentur rursum vera intrinseca identitate, quæ multò etiam magis concludunt contrà entitatem modalem, quæ liberius dicitur aduenire, & recedere subiecto, cuius est modus.

106. Neque obstat, quod, quæ distinguuntur, quatenus non distinguuntur, ea identificentur, ergo modos identificari realiter subiectis suis, à quibus non distinguuntur realiter; quia esto daremus,

quod

quod eiusmodi distinctio non esset realis ratione extremorum, qui non sint res, non tamen ideò est probare, quod inde sequatur vlla realis identitas.

107. Quod si dicatur entitas modalis prorsus distincta ab eo, cuius est modus, nihil illi identificari, iam hoc ipso modalis entitas esse non potest; poterit enim etiam existere separata ab omni alio ente creato, vt enim nulla est ratio essendi à Deo distincta, quæ non contineatur eminenter tùm in ipsius perfectione essendi, tùm in ipsius potentia creandi, per consequens nulla est ratio huiusmodi essendi, quæ ab ipso Deo solo fieri non possit absque consortio alterius identitatis distinctæ, & absque eo quòd secum assumat vllum concursum causæ creatæ in vllo genere causæ causantis.

108. Vt enim nulla Creatura potest se sola absolutè sine concursu Dei dare esse vlli effectui, quia nulla continet in sua potentia productiua adæquatè effectum vllum, ita contrà poterit Deus se solo causare quamcumque entitatem; absque eo quod alia causa secum vllo modo concurrat, cum Deus excepta causalitate formæ, & materiæ, vt componentium, habeat omnem vim causatiuam ad quemcumque possibilem effectum, imò & perfectius contineat omnem

nem vim causatiuam per creaturas dispersam.

109. Et licet Deus, vt Deus, non possit formaliter ambulare, nec cantare, aut respirare, aliosque huiusmodi vitales effectus præstare, qui hoc ipso dicunt imperfectionem in ambulante, respirante, &c.; benè tamen potest Deus huiusmodi effectus se solo producere in alio subiecto, vel etiam extrà subiectum, futuros vitales secundùm naturam suam intrinsecam, exigentiamque natiuam, esto non secundum denominationem extrinsecam, quæ à principio operante in se ipso non prodierunt.

110. De entitate positiua peccati, quæ est non ipsum formale, sed materiale peccati, deque entitate erroris, (vt vt euidens sit, quod nec peccare, nec errare consistit in mero producere eiusmodi entitatum) tamen non placet hic determinare, an possit Deus, qui certè nec peccare, nec errare potest, se solo eiusmodi entitates producere. Certè Vasq. in 2. par. dis. 90. c. 4. num. 11., & 12. admittit, quod possit Deus se solo absque peccato infundere habitum vitiosum: & quod, si posset se solo producere actus vitales, solus etiam posset actus erroris infundere: & in 3. par. dis. 61. num. 35. ait potuisse habitum vitij, & actum erroris,

roris, qui non sit peccatum moris, existere in Christo Domino. Sed quicquid sit de his: Illud manifestum est, quòd, si Deus non possit huiusmodi entitates se sole producere; non tamen hinc sequeretur eas esse entitates modales: cum non ideo sint eius essentialiter, à quo sunt, aut in quo sunt: ac per cons. possint existere separata ab eodem: tribuendaque esset ratio horum peculiari entitatum naturæ seu nasciturae; quod non posse ipsas produci a solo Deo oriretur non ex aliqua ratione essendi ipsarum, vel efficiendi causarum, sed ex ratione deficiendi: quod non potest dici contingere in causatione modorum, si dentur: in quibus non admittitur per se causantium defectus.

111. Multò minùs entitas modalis potest exigere, quod stet cum eo, cuius est modus propter essentialem aliquam connexionem relatiuam, quia ratio relationis inter creata, si nihil aliud addas, non importat tantam connexionem inter ipsa creata, vt non possit vnus terminus existere sine altero. Existit enim pater non existente filio, & vice versa, & album sine altero albo. Quod si dicatur entitas modalis esse ipsa essentialiter actualis determinatio alterius, puta ipsa vnio, latio, calefactio, quæ ne considerari quidem possunt, ne dum

esse

eſſe ſine eo, cuius ſunt vnio, latio, calefactio.

112. Contrà eſt, quia verum quidem eſt non poſſe eſſe à parte rei rationem formalem v. g. actionis, lationis, calefactionis, vnionis, & ſi quæ huiuſmodi, vt talium abſque eo quod exiſtant, quæ vniantur, ferantur, & calefiant; At vnde probatur iſta eſſe entitatem nouam realiter diſtinctam ab actiuis, & paſſiuis harum rationum formalium? hoc ipſum enim eſt illud, quod ſpectat ad naturam diſtinctionis veræ, & ex natura rei, quod alterum non ſit eſſentialiter alterius, ſed ſui; connexum enim eſſe eſſentialiter, & eſſe diſtinctum eſſentialiter, ſeu (quòd ſolide idem eſt) eſſe diſtinctum realiter videntur contradictoria, vt enim diſtingui eſſentialiter, & connecti naturaliter poſſibile eſt, ſic videtur impoſſibile idem diſtingui eſſentialiter, & connecti eſſentialiter, niſi ſi per aliquod, quod ſit verè, & realiter vnum, vt habemus in diuinis ſingulare, nec eſt ratio admittendi in creatis.

113. Et verò hæc principia tollendæ entitatis modalis longè vniuerſaliora, & clariora ſunt ipſa entitate modali, vnde eſt, quod nemo aut illa negat, aut hanc admittit; niſi inuitus, hoc eſt victus

necessitate, vt arbitratur, aliorum principiorum: sed non est vlla; vt vincamur necessitas, quod iam particularibus suis locis tradidimus, &, si qua est difficultas, illa potius vincenda est, quam vt ea, quæ sunt euidentiora, tollamus.

114. His adde quod si hic modus, verbi gratia hæc actio est essentialiter huius aquæ A., & non huius aquæ B. ergo constituit inter aquam, & aquam, & inter partes quantitatis, & per consequens inter partes motus successiui distinctionem realem actualem; Etenim aqua palmaris A. vnica v. g., vt ais, actione facta potuit fieri distincta per partes octo, aut decem, per consequens decem actionibus distinctis, quarum vna esset huius partis non illius, ergo haberent in se illæ partes rationem peculiarem, cur ad has potius, quam ad illas esset potius hæc actio, quam illa, ergo iam distinguerentur aliquo prædicato, quo per consequens etiam distinguebantur, vbi erant vna aqua palmaris; neque enim dici potest etiam actionem, qua fiant quanta esse quantam, ac proinde correspondere posse vel huic, vel illi parti mutatis vicibus, quia iam ergo danda esset alia entitas modalis determinans hanc actionem ad illam partem aquæ

aquæ potius, quam ad aliam, cum de se non sit satis essentialiter actio huius non alterius; vnde facilè abiretur in infinitum; Si verò semel admittimus huiusmodi quanta constare ex actu distinctis, iam admittimus constare ex indiuisibilibus Physicis, vel Metaphysicis, quæ satis suprà reiecimus, & fortasse reijcerent etiam auctores modorum, nisi se per prius modis tradidissent.

115. Prættereà constituitur inter indiuidua omnia vnius speciei manifesta (iam non amplius ad summum dubitabilis) differentia plus quàm indiuidualis, imò specifica: si enim hæc numero actio est potius huius Angeli, quàm alterius, est ergo in hoc Angelo potius, quàm in altero, ratio terminatiua, & quasi dependendi potius ab hac actione, quam ab alia; quæ rationes certè non sunt ipsa formaliter ratio indiuidualis, cum maximè actio non terminetur formaliter ad rationem tantùm indiuidualem, sed ad omnes rationes, quæ formaliter fiunt; Iam verò vt hic Angelus potest fieri infinitis, vel finitis in infinitum actionibus, differet ab altero Angelo infinitis eiusmodi prædicatis, & relationibus, quæ maximè possunt esse etiam diuersæ speciei, cum idem naturaliter, ac supernaturaliter à quam diuer-

ssissimis fieri possit; sed quod tàm multis prædicatis non dicentibus formalem indiuiduationem differt, specie differt, hoc est, formalitatibus identificatis, quæ per consequens vel sunt species, vel proprietas sequens ad speciem, diuersa ad diuersam, ergo à primo ad vltimum, quæ sunt indiuidua eiusdem speciei hoc ipso, quod diuersis habeant fieri entitatibus modalibus, vt ponitur, iam non numero tantùm, sed specie differunt: nec sunt vnius speciei indiuidua: quæ sunt contradictoria.

116. Neque satisfit difficultati per hoc, crediderim vnicè inuentum ad saluandos modos, quod ad differentiam specificam requiritur differentia notabilis, has autem non esse differentias notabiles; namque primò videntur istæ differentiæ esse valdè notabiles, si non singulæ, saltem simul omnes, & infinitæ, licet enim singulæ parum addant, tamen ex omnibus collectis, vt dicit Philosophus, magnitudo fit: Secundò turbatur valdè ratio differentiæ, vniuocationisque specificæ; cum, quæ deberet esse ratio Metaphysica, & in indiuisibili consistere, iam fit ratio moralis, & semper incerta. Quis enim mensuret latitudinem huiusmodi differentiæ specificæ, quæ non benè videtur

poni

poni tàm lata, cum ipsæ essentiæ in indiuisibili consistant. Tertiò falsum est, quod ea tantùm dicantur differre specie, quæ notabiliter differunt; numquid enim notabiliter differt ternarius, vt sic à binario vt sic, & sic de plurimis similibus, quæ tamen præcisis omnibus rationibus solum in ratione numeri, & spectato solo binario, & ternario vt sic specie differunt. Quartò ipsæ diuersæ actiones, & modales entitates, quibus habet idem fieri à diuersis, specie differunt; ergo differunt per diuersum specie ordinem, licet vnicum; ergo multò magis ipsi effectus specie differunt, cum multis huiusmodi diuersis specie ordinibus differant.



CAPVT V.

De Ente vel à se, vel ab alio.

117. RECtus ordo doctrinæ postularet, vt hìc traderentur diuisiones Entis in subiecta genera, & species, quo etiam ordine inde in sequentibus explicarentur; sed quoniam tùm eiusmodi multa iam suprà tractata sunt, tùm non est vna ratio diuidendi entis; sed multæ, & quidem opportunæ ad scientias diuisiones fieri possunt, vndè etiam non necessariò genera ipsa in has potius, quàm illas immediatè species diuidimus, & has prius, quàm illas vt libet etiam opportunè tractamus, omissa tota diuisionum serie ad hanc primò accedimus diuisionem entis à se, & ab alio, inde tractaturi de substantia, & accidente, post quæ, cum cætera prædicamenta, & ipsorum pertinentias iam alibi expediuerimus Qualitatem, Relationem, & Situm, & Habere vltimò exequemur.

118. An scientificè diuidatur ens in à se, & ab alio, dubitare non licet, cum nullam implicet contradictionem ista diuisio. Positiuè autem in Physicis

etiam

etiam tradidimus de facto multa esse, tum à materia, tum à suis causis efficientibus, quibus alia dant esse alijs; sed hìc tamen illud præterea restat digerendum, quod de facto detur ens à se, & quodnam, imò & quidnam ipsum sit, tum quænam sint entia ab alio.

119. Et quidem dari ens à se de facto tam certum est, quam certum est non esse omnia ab alio; Daretur enim processus realis in infinitum, & categorematicè infinitus, qui tum absolutè, & sine vllo ordine, tum in caussis, & in quocumque ordine implicat contradictionem; & sicut implicat ordo, in quo nulla facta comparatione ad alia extrinseca, sed tantùm secundùm intrinseca eius ordinis omnia ordinata sint prima, vel priora; sic etiam implicat ordo, in quo omnia etiam tantùm distributiuè sint secunda, vel posteriora.

120. Præterea hìc processus in infinitum, vel est necessarius, vel liber, vel secundùm eamdem speciem, vel secundùm diuersas, vel instantaneus realiter, vel realiter successiuus; Non potest esse liber, vel enim esset liber formaliter, vel libertate imperata, certè non formaliter liber, cum processus for-

maliter liber non sit aliud ens, quam actus ipsius voluntatis à quo alius, & inde alius actus consimilis esse non potest; Sed neque potest esse processus libertatis imperatæ, vel ponatur in omnibus, & singulis causis aliam alijs liberè producentibus, vel in aliquibus tantùm finitis (infinitas enim liberas qui poneret, iam etiam posset ponere omnes): nam si ponantur aliquæ tantùm liberæ finitæ, non est maior ratio de hoc, quam de illo magno numero, & nec possunt poni primæ omnium, iam enim processus haberet primum, nec postremæ: Iam enim causæ liberæ essent à non liberis, hoc est perfectiores ab imperfectioribus, & falsò ponerentur per se postremæ alicuius processus infiniti, cum ante illas iam totus processus completus esset, nec possunt poni interpolatæ propter has easdem rationes.

121. Si verò ponatur processus causarum, quæ omnes liberæ sint alteræ ab alteris, res est valdè difficilis; si enim omnes liberæ sunt formaliter, & vt causant, possunt singulæ, vel potuerunt sistere se; & nolle alteram causare; & sic processus in infinitum, qui additione infinitatur, potuisset finiri antequam infinitaretur; quod si sic, ergo incepisse conuincitur; Imò etiam, cum ad hanc

vsque

vsque diem finierit , non est ergo processus in infinitum . Præterea quod causa liberè , absolutè , & se sola , & non alio ordinante producat aliquid , arguit , maximè in serie infinitarum causarum summam cognitionem, ac libertatem, ideamque rei producendæ , qualem agnoscimus quidem in Deo , sed ijs inesse non potest , quæ sunt ab alio .

122. Sed neque potest processus infinitus causarum alterius ab altera esse necessarius , vel enim omnes , & singulæ sunt ab æterno , & implicat esse ab æterno , quæ facta sunt , cum sint natura alijs posteriora , & implicat etiam necessitas essendi ab alio tum maximè posito , vt ponendum est , quod Deus sit ; quodlibet enim ens absoluit Metaphysicè ab esse alterius , tùm quia , quæ dicunt necessitatem existendi, dicunt etiam indestruibilitatem , quæ est solummodo perfectio digna Deo , non verò entium , quæ ab alio procedunt .

123. Demum etiam implicat processus infinitus , completus iam , vel simultaneus tempore sit , vel successiuus, quia importat extensionem discretam numericam , vel etiam continuam plurium numero , vel successione infinitorum , hæc autem impossibilia sunt , quia vt dicebamus alibi de æternitate , quæ sunt

creata, non hoc ipſo quod ſunt, infinita mole, vel tempore, vel multitudine ſunt; ſed infinitantur additione vnius ad aliud, & horæ ad horam, & molis ad molem, ſi proceſſu infinitantur; ergo incipiunt ab vno, & à finito, quod eſt abſurdum, vt ommittamus alias propè innumeras difficultates, vel ponamus proceſſum in infinitum ſimilium, qui per conſequens erit proceſſus per accidens, vel diſſimilium, qui per conſequens erit imperfectiorum à perfectioribus; vnde aſcendendo verſus quaſi originem huiuſmodi proceſſus erit arguere dari ergo quam plurimas, imò infinitas cauſas perfectiſſimas, quin etiam quam plurimos Deos.

124. Quàm certum eſt autem (reiecto proceſſu in infinitum, & quod omnia ſint ab alio, & alio in infinitum) dari ens à ſe, tam certum eſt huiuſmodi ens dicere neceſſitatem eſſendi, hoc ipſo enim quod eſt, & non ab alio, nullam habet expectare cauſam, à qua fiat; & ſi poſſet non eſſe, ergo cum ſit, liberè fuit à ſe ipſo, & poſſet vel perimere ſe ipſum, vel perimi ab altero, quæ ſunt abſurda, vt non poteſt, quod non eſt, habere virtutem dandi eſſe ſibi, vel liberè, vel neceſſariò.

125. Cum autem perfectio eſſendi à ſe,

ſe, ac neceſſariò, ſit longè ſuprà omnem perfectionem rei deſtrubilis, ac factibilis, imò ſit perfectio eſſendi infinita, & illimitata, vt pote ſimul æternitatem durandi colligens, & prætereà ſuprà omnium creatorum agentium actiuitatem infinitè actiua ſit, propterea quòd, quæ creantur, habeant dependere immediatè, vel mediatè ſaltem ab ipſo ente independente, idque per omnem æternitatem, videtur per conſequens dicendum huiuſmodi ens neceſſarium infinitè actiuum, ac proinde perfectum, eſſe etiam infinitè intellectiuum, & volitiuum, ac proinde liberum, alioquin non eſſet primus auctor, à quo cætera dependerent. Vnde benè habent poſteà deduci reliquæ perfectiones, quas Deo conuenire ſcimus, & pro nunc contenti probaſſe quod Deus exiſtit, examinare ſuperſedemus.

126. Sed alio etiam capite conſtat euidenter Deum neceſſariò exiſtere; Eſt enim dabile ens complectens omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices ad inuicem componibiles, & vnibiles, itaque perfectum, vt nihil melius ipſo excogitari poſſit; quid enim certius, quàm poſſe exiſtere ens conſtans omnibus perfectionibus ad inuicem componibilibus; Iam verò æquè euidens eſt

necessitatem essendi, vt est maxima perfectio, alicuique conueniens, nonnisi posse componere cum maximis perfectionibus, vt non potest componere cum minoribus, & creabilibus, quod si potest componere, ergo iam necessariò componit, proindequè æquè certum est non solum posse esse Deum; sed etiam esse.

127. Pari passu manifestum est dari ens ab alio, quod quomodo procedat ab alio, quantum licuit nobis cognoscere, satis suprà traditum est in proprijs locis.

CAPVT VI.

De Substantia, & Accidente, Qualitate, Relatione, Situ, & Habere.

128. Rectè definitur substantia esse ens per se subsistens; Duplicem habet rationem substantia, alteram, quod primò substat accidentibus, sed hæc non est potissima eius ratio, cum neque sit de ratione substantiæ vt sic; Nam Deus est substantia, & non substat accidentibus: Alteram, quod per se subsistat in-

incommunicabiliter ad aliud, à quo dependeat, tanquam ab absolutè priori se, & hæc est vera ratio constitutiua substantiæ, eiusdemque distinctiua ab accidente.

129. Ad controuersiam, vtrùm ratio per se existendi, vel subsistendi sit entitas modaliter, vel realiter contradistincta ab ipsa natura substantiali per se existente; Respondendum est negatiuè, tum quia constitutiuum substantiæ non potest esse à substantia ipsa distinctum, vt inhærentia accidentis non distinguitur ab accidente, tum quia nulla entitas videtur posse esse alteri ratio per se existendi, vt nulla potest esse ratio inhærendi in alio.

130. Et certè posse dari substantias, naturasq; creatas per se subsistentes identificata sibi subsistentia videtur manifestum, neque enim est vlla implicantia: & paritas de subsistentijs Diuinis à Diuina natura non distinctis realiter, videtur hoc efficaciter probare: Quod si dari possunt eiusmodi substantiæ, & subsistentiæ indistinctæ; iam, vbi non est efficax argumentum in contrarium, sed multa potius incommoda, melius profectò erit pro indistinctione opinari; Et verò hæc entitas subsistentiæ (vel realis, vel modalis ponatur) aut dicitur esse
acci-

accidentalis, aut substantialis; Si dicitur esse accidentalis, & forma, difficultas est, quia non videtur benè statui, quod accidens sit ratio formalis constitutiua, & differentialis substantiæ; Daret enim verè perfectionem, quam non haberet in se, eodemque modo, si ponatur aliqua forma per modum formæ constituens naturam substantialem per se existentem, an non ponitur absurdè, quod subiectum constituatur per se existens ab eo, cui præsupponitur existere? Vnde forma adueniens, & se communicans alteri, accipiensque esse à suo subiecto sit illi ratio essendi per se, & incommunicabilitatis.

131. Quod si dicatur esse quid substantiale; iam, vel est quid natura substantiali prius, vel simul cum ipsa, posterius enim, vt dicebamus, esse non potest. Si dicitur hæc entitas subsistentiæ esse prior; vel ipsa per se subsistit, & habemus iam entitatem creatam per se subsistentem subsistentia per se, & indistincta, sed valdè incommodè, vt quid enim dicitur prius hæc entitas modalis natura substantiali; quæ & est primum esse rei subsistentis, cum sit definitio obiectiua eiusdem, & est longè perfectior ipsa entitate modali subsistentiæ (alioquin nimis multum de-

deesset naturæ humanæ, quæ subsistit in Verbo Diuino, si deesset, vt debent dicere, ista subsistentia, quæ foret perfectior entitas, quàm natura) quæ ratio probat etiam non posse subsistentiam esse entitatem æquè primam cum natura subsistente; cum præterea difficile sit statuere æque prima verè, & realiter in distinctis, & per se subordinatis, si maximè non habeant mutuam, & verè rationabilem prioritatem.

132. Non posse verò dici, quòd subsistentia sit formaliter ex natura rei antecedenter ad intellectum distincta à natura substantiali satis constat ex improbatis alibi formalitatibus, vt ex improbatis etiam negationibus, satis consequens est non posse in negatiuo consistere; proindeque nihil aliud tandem esse subsistentiam, quàm ipsam aptitudinem, vimque naturalem substantiæ per se existentis independenter ab absolutè priori, cum quo componat, cuique ad aliquod vnum ens constituendum vniatur, Estque vel subsistentia actualis, vbi scilicet actu secundo natura substantialis per se existat, vel aptitudinalis tantùm, vbi assumpta ab aliquo hypostaticè in actu secundo dependeat, habens tamen vim naturalem existendi per se.

Ne-

133. Neque verò, vt natura substantialis de subsistente in se fiat non subsistens, amittit ideò aliquam entitatem, vel acquirit, vbi de non subsistente fiat per se subsistens; etenim fit non subsistens per se, hoc ipso quod, licet intransitiuè integra, & cum omni suo reali complemento perfecto, constituatur dependens ab aliena hypostasi, vt rursum fiet de non subsistente subsistens, hoc ipso quod relicta suo statui naturali maneat independens.

134. Constituitur autem dependens, supernaturaliter vtique (non enim ista naturali potentia fieri habent) per hoc quod aliena hypostasis in genere subsistentiæ aliqua tandem non causalitate propriè sic dicta, sed quasi causalitate influat in esse eius naturæ assumendo illam, & interim attemperante Deo concursum ordinarium erga efficientiam eiusdem naturæ, vt ita indigens eiusmodi hypostatica influentia ab ea constituatur opportunè dependens.

135. Quæ dicta sint ad merè explicandam naturam, & quidditatem substantiæ, nolumus enim falcem mittere in messem alienam, aut quidquam peculiariter de Sanctissimo Incarnationis Mysterio philosophari. Quare definitur ergo rectè substantia esse ens per se exi-

exiſtens natura ſua ; in hoc enim ſtat ratio ſubſtantiæ, vt habeat vim naturalem per ſe ſubſiſtendi ; Vnde per hoc ſuppoſitum, & perſona different à ſubſtantia ſingulari, quod hæc dicit per ſe actum primum ſubſiſtendi, ſuppoſitum verò, & perſona requirit etiam actum ſecundum ; quod ex eo manifeſtum eſt, cum eadem natura ſubſtantialis hoc ipſo quod ſit aſſumpta ab aliena hypoſtaſi, vtique nec ſit perſona, nec ſuppoſitum per ſe, quòd ſi dimittatur, ac per ſe exiſtat, ſtatim eſt ſuppoſitum, ac perſona.

136. Illud diſtinguendum eſt quòd, vt duplex eſt ratio ſubſtantiæ completa, & incompleta ; ſic per conſequens etiam eſt duplex ratio ſubſiſtentiæ, ac ſuppoſiti, vt alia ſit ſubſiſtentia ſimplex, proindeque completa, & perfecta naturaliter excludens omnem communicabilitatem ; Alia ſit ſubſiſtentia compoſita, incompleta, & imperfecta admittens aliquam communicationem. Subſiſtentiæ huiuſmodi ſimplices, & completæ conueniunt Angelis, & maximæ omnium ſubſiſtentiæ diuinæ, quæ planè compoſitionem omnem, & communicabilitatem cum altera à ſe diſtincta natura, qua dependeat, excludit. Sicut Angeli admiſſa compoſitione cum naturis

naturis accidentalibus excludunt à se naturaliter compositionem cum substantialibus; Subsistentiæ verò non simplices, & per consequens imperfectæ, & incompletæ conueniunt materiæ omni, omnique formæ substantiali.

137. Neque enim excludendæ sunt istæ substantiæ incompletæ à ratione subsistentis, propterea quod absolutè compositionem admittant. Cum enim ex vna parte & sint substantiæ, & compositum, quod constituunt substantiale, verè subsistat per se, ac sit suppositum, vt manifestum est; Rursum verò ex alia parte non possit dici suppositum ratione materiæ primæ, cum ipsa licet sit prima Substantia, ac prima ratio compositi in aliquo genere, & primi, & partis, & causæ; tamen nec sit id, cui tribuantur actiones, vel operationes, quæ dicuntur esse suppositorum, nec sit absolutè prima quidditas compositi, cum potius sit subordinata formæ, & in eius gratiam: Non item possit compositum substantiale esse suppositum ratione formæ tantùm, quæ non est ita absolutè primum, vt non dependeat saltem in operari ab alia eiusdem compositi parte, illud necessariò dicendum esse videtur, quod sicut compositum substantiale constat pluribus in-

completis fubftantijs, ita etiam conftat pluribus incompletis fubfiftentijs dicentibus quidem communicabilitatem ad inuicem; fed tamen incommunicabilitatem ad aliud compofitum, aliudue abfolutè completum ens.

138. Data verò fic quidditate fubftantiæ; iam de accidente conftat ergo effe ens in alio, eius autem inalcitatem, feu inhærentiam nihil aliud effe, quàm certam ipfius imperfectionem effendi, fecundùm quam exigit natura fua ineffe alteri abfolutè priori fe famulari, vel inftrumentario quodam modo: alio enim pacto aduenit accidens fubiecto fuo, alio formæ fubftantiales; ipfæ enim perficiunt quidem fubiectum fuum, fed non tàm gratia fubiecti, quam fui, nec tàm in ordine ad operandum, quod ipfum fubiectum intendat, fed in ordine ad operandum, quod ipfæ formæ præintendunt.

139. Qualitas eft actus accidentarius, perfectioque incompleta, ordinata ad perficiendum fubiectum fuum, ad quod fequitur, feu in cuius gratiam eft, perfectione intenfiua; idque vel in ordine ad effendum, vel in ordine ad operandum id, quod per prius fubiectum ipfum qualitatis intendebat. Vnde eft, quod & diftinguitur à fub-

ftan-

ſtantia, quæ non eſt ens accidentarium, nec ſecundùm, & à quantitate, quæ per ſe perficit ſubiectum extenſiuè non intenſiuè: Quomodo autem diſtinguatur à cæteris prædicamentis, ex eorum data natura alibi ſatis conſtare poteſt, cum nulla prædicamenta importent diſtinctionem realem, niſi hæc tria, Subſtantia, Quantitas, & Qualitas.

140. Proprium qualitatis ſolius eſt eſſe intenſibilem, ac remiſſibilem, neque enim ſubſtantia poteſt intendi, aut remitti; cum certam ipſa, vt potè primum ens, natura ſua, ac per ſe importet eſſendi, & agendi indiuiſibilem perfectionem, contrà quam importet qualitas, quam, vt potè famulatem diuerſarum ſubſtantiarum, decuit poſſe fieri meliorem, ac meliorem, prout ab hac, aut illa ſubſtantia exigebatur, eſto non implicet dari qualitatem non intenſibilem.

141. Non fit autem intenſio, vel remiſſio nec per mutationem ſimpliciter ſic dictam qualitatis imperfectioris in meliorem, vel vice verſa; neque per maiorem, minoremue admixtionem contrarij; neque per maiorem, aut minorem radicationem formæ in ſubiecto, qua ipſa qualitas magis, vel minus educatur, vel ſibi ſubijciat magis, minuſue

ſubie-

subiectum, melioreue stet existentia; sed fit additione gradus ad gradum, qui vt nulla ab inuicem actuali distinctione intrinsecè distinguuntur, sic heterogenei non sunt, nec natura sua alij alijs perfectiores, aut priores.

142. Qualitas hoc ipso quod intenditur benè dicitur perfici, ac meliorari, quia in ijs quæ mole non magna sunt, illud est melius, quod est maius, seu quod plus entitatis habet; Vel sic ideò dicatur in ordine ad subiectum, cui ex genere suo, &, vt primò conueniunt alicui, meliores sint qualitates, quo insunt intensiores; vel dicatur in ordine ad ipsas qualitates, quarum proportio sit huiusmodi, vt gradus gradum perficiat; quam proportionem nec esse in quantitate, manifestum est, quæ per se partium dicit extreitatem, nec item est in substantia, quæ cum certam fixam, & primam de se habeat naturam, ac proinde partium suarum statum, potest quidem à sua perfectione deijci, sed non meliorari per quamcumque tandem intreitatem, vel extreitatem partium.

143. Neque verò ex his sequitur difficile illud, futurum ergo quod ęquale, & minus possit intendere æquale, vel etiam maius si applicetur, nihil enim deesse, cum verbi gratia calidum, vt quin-

quinque poſſit adhuc ſuſcipere tria, & calidum vt tria verbi gratia, poſſit tria producere in quocunque ſubiecto apto; Contrà enim eſt, quia agens natum producere aliquid, non illud poteſt ex quolibet ſubiecto producere, ſed tantùm ex ſibi proportionato, cuiuſmodi non eſt ſibi proportionatum, quod eſt æquale, vel maius.

144. Idque non propter eam meram rationem, quæ à non paucis affertur, ſimile non agere in ſimile (hæc enim ratio, non ſatis liquet, ſed aliam rationem expectat, vnde ipſa probetur;) Sed quia quantam agens habet virtutem agendi, tantam oportet, vt quaſi excitet in ſubiecto ſibi correſpondentem virtutem patiendi, ſeu materializandi: Iam verò materia actuata quinque non poteſt recipere tria ab agente tantùm vt tria, quod agens non habet excitare vim correſpondentem materiæ paſſiuæ vt octo, quæ debeat adhuc ſuprà quinque recipere tria.

145. Et quod ex agente vt tria, & Deo iam conſeruante vt quinque præcedentes gradus fiat vnum agens, vt octo, vnde per conſequens poſſit huiuſmodi agens vt tria producere illa tria, non facit ad rem; cum verè eſto hæc duo agentia ſint pariter applicata,

tamen

tamen in caſu huiuſmodi non agunt per modum vnius integrantis actionem vt octo, vt manifeſtum eſt, cum alterum producat effectum ſuum independenter ab altero. Non agunt autem vnitim, nec tanquam vnum duæ cauſæ, vbi totus partialiter effectus ab vtraque non pendet.

146. Solæ qualitates, licet non omnes, propriè contrariæ ſunt contrarietate ſimpliciter, & abſolutè ſic dicta, qua ſcilicet duo in eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt: nullæ enim cuiuſlibet generis ſubſtantiæ maximè diſtant ab inuicem, aut ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellunt. Porrò hæc maxima diſtantia non eſt diuerſitatis, vel loci, ſed Metaphorica, & in ordine ad motum alterationis, vt enim particularis alicuius motus Localis termini à quo, & ad quem oppoſiti, & vltimi ſunt etiam maximè diſtantes, ſic maximè diſtant illæ qualitates, inter quas eſt motus à ſummo ad ſummum, puta à calore ad frigus, ab albo ad nigrum, vt non maximè diſtant mediæ qualitates, cuiuſmodi ſunt tepor, aut color viridis. Quod ſe mutuò expellant requiritur ad rationem contrarietatis ſimpliciter ſic dictæ: ad diſtinctionem

for-

formarum disparatarum, quarum aliæ se mutuò compatiuntur, aliæ expellunt, sed non expelluntur ab inuicem.

147. Non ita tamen se mutuò expellunt, vt nullo pacto se compatiantur in eodem subiecto contraria; satis est, quod non stent simul in summo, alioquin non esset procedere ad summum vnius contrarij gradatim, ad summum alterius: hæc enim lex est qualitatum huiusmodi contrariarum, vt vel sint in summo in suo naturali primo subiecto, vel tantum habeant admixtum contrarij, quantum graduum ex ipsis sublatum est.

Eo autem magis aliqua sunt contraria, quo plus habent se expellere, vnde sunt contraria magis quæ se mutuò expellunt tum actiue, tum formaliter, vt calor, & frigus; Minus contraria sunt, quæ se expellunt tantùm formaliter, vt album, & nigrum; adhuc minus, quæ se expellunt tantùm per accidens, vt actus falsus, & verus circà idem de eodem; per accidens enim est, quod alter inueniat in anima alterum expellendum.

148 Relatio ordo quidam est, & comparatio vnius ad alterum, & duorum ad inuicem, & est duplex transcendentalis, & prædicamentalis.

Tran-

Tranſcendentalis eſt ratio eſſendi ſecundùm ſe totam in vno quidem ſaluata; ſed tamen erga aliud realiter à ſe diſtinctum aliquid præſtat: Vel enim ipſa eſt propter terminum, vel terminus propter ipſam, vel eſt per ſe producibilis, vel per ſe productiua; proindeque nec reſpicit terminum, vt purè terminum, nec ſemper mutuò correfertur, nec ſemper terminatur ad correlatiuum, aut dicit terminum actu exiſtentem, aut realem.

149. Relatio prædicamentalis non ſaluatur in vno; ſed eſt duorum, & quidem non alterius in recto, alterius in obliquo ad inuicem comparabilitas in genere eſſendi, vel menſuræ, vel actionis: non quaſi mera ratio duorum, meraque dualitas ſit formaliter relatio vlla prædicamentalis, ſed propterea quod ſe ſe ad inuicem ordinant, comparantque aliquo tandem modo, quæ duo ſunt: vnde hæc eſt ſemper relatio mutua, dicitque terminum actu exiſtentem, ſeu vtrumque relatiuum actu exiſtens.

150. Et certè, qui ſaluant in vno relationem prædicamentalem, vel ponunt ipſam aduenire, & recedere, proindeque eſſe quidditatem realem, vel modalem, vel formalem, nonniſi incommodè dicunt, quod ſcilicet poſito de-

nouo in rerum natura aliquo vno ente tam multæ passim in omnibus entibus relationes consurgant similitudinis, dissimilitudinis, proportionis, dominij, & seruitutis, & si quæ alia huiusmodi. Neque verò huic incommodo satis occurritur, vel id adscribendo causæ primæ, quæ certè malè vocaretur ad munus tam inane, & frequens: vel adscribendo virtutibus occultis, tùm quia sine fundamento in re tàm quotidiana, & vniuersali recurritur ad huiusmodi occulta; tùm quia contrà naturam relationis prædicamentalis est, quod producatur, seu de nouo illa per se fiat, aut ab alio resultet, & si de relatione distincta formaliter sermo sit, abiretur in infinitum.

151. Multò minus dici potest relationem prædicamentalem esse quidem rationem formalem totam in vno identificatam, nec aduenientem, aut recedentem; sed tamen non denominantem nisi existat terminus. Esse enim, & denominare denominatione reali idem est: quæ est etiam proportionaliter ratio, cur non possit admitti esse tota in vno in recto, connotante obliquum; non est enim à parte rei ista ratio recti, vel obliqui; & si relatio secundùm suam intrinsecam rationem formalem est in vno verè intransitiuè, verè vnus intransitiuè est simi-

similis, vel existat connotatum, vel non?

152. Sic autem admissa relatio, quod sit exercita, & realis non intentionalis duorum comparatio, seu comparabilitas, benè fugit omnes difficultates. Ex vna enim parte satis est intelligibile, quomodo requirat essentialiter duo, cum vniformitas, vel difformitas, seruitus, vel filiatio, & mensuratio non stent in vno, ex alia etiam satis manifestum est, non aduenire tamen de nouo quidquam, vbi fit aliquod de non relatiuo prædicamentaliter relatiuum; sed aduenire tantùm extrinsecum complementum eiusmodi relationis, vt non aduenit de nouo quidquam vni, hoc ipso quod constituitur adueniente altero in esse multitudinis.

153. Quod si dicatur totam ergo relationem prædicamentalem, verbi gratia, similitudinis non esse in vno pariete, sed in duobus, in singulis verò esse tantùm similitudinem, & relationem inadæquatam benè infertur. Quid enim certius, quàm nec vniformitatem esse completè in vnica tantùm forma, nec difformitatem in vnica formitate? esto insit & hæc, & illa etiam in vno tantùm inadæquatè. Si verò quæritur, ad quid ergo referatur relatio, verbi gratia, similitudo duorum parietum, si est vnica in duobus.

bus; dicendum est certè non referri ad aliquod tertium, sed neque per hoc, quod duo parietes correferantur ad inuicem, ideo duplicem esse relationem completam singillatim vnam in quolibet, potius enim quasi singulos semireferri, quod est ambos correferri ad inuicem; hęc est enim necessaria sequela; nam cum duo, verbi gratia, verè diuersa, vel similia sint, neutrum autem se solo, ergo singillatim semi diuersi, & simisimiles sunt.

154. Reliqua sunt duo prædicamenta nobis non explicata superiùs; quorum alterum est, Situs, hoc est ratio dispositionis partium animalis in loco, secundùm quam habet stare, sedere, iacere, aut quid huiusmodi. Alterum est, Habere, hoc est ratio habendi aliquid, seu ipsa habentia, actusque aliquid habendi, puta vestes, arma, aliaue id generis; sed ista quàm minima sunt, sudatusque præ nostri ingenij tenuitate in cæteris labor iam suadet, vt à suscepto opere quiescamus illud summopere exoptantes in hoc exigui orbis opificio videat bona esse, quæ fecimus, ille, de cuius fonte omnis bonitas deriuatur, & cuius ad maiorem gloriam, si quid hic est, ipsius certè, non nostræ, bonitatis studio omni, spirituque, quantum possumus, integro, ac volente referimus.

FINIS.

Errata	Corrige		
ptoentiam	potentiam	3	6
a	in	3	12
concediiur	conceditur	6	25
etſi	& ſi	9	16
poſcit	poſſit	32	22
ſubtecta	ſubiecta	34	23
Theologica	Theologia	37	23
primo	prima	46	12
propoſitionem	proportionem	47	27
cauſa .	earum	49	1
noctior	notior	72	15
reſpectus	reſpectu	72	27
ficut	ſicut	85	20
Duobus	Duabus	101	12
cauſa	cauſæ	101	28
quid	quod	117	28
cauſatiuum	cauſatiuam	118	22
varium	uariam	191	10
fit	ſit	207	3
totins	totius	207	10
ſenſitiuum	ſenſitiuam	220	14
Digeſſio	digreſſio	234	10
Defenſione	definitione	249	3
Corporis	Corporeis	249	26
ſubſiliore	ſubtiliore	270	25
finus	ſinus	317	23
	ſit	340	28